





*1779, 6* *7*

**DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> IN AVG<sup>V</sup>RALIS  
DE  
EO QVOD IVSTVM EST  
CIRCA MATRIMONIA SPECIATIM  
SECVN<sup>D</sup>VM STATVTA  
HAMBVRGENSIA**

---

*P 391.*

**CONSENTIENTE  
ILLVSTRI ICTORVM ORDINE  
GOTTINGENSI**

**PRO  
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS  
RITE OBTINENDIS**

**PROPOSITA  
A  
NICOLAO DE GRAFFEN  
HAMBVRGENSIS**

---

**GOTTINGAE,  
Litteris JO. CHRIST. DIETERICH, ACAD. TYPOGR.  
1779.**



DISSESTITATIO IN VADARVITIS

DE

EO GAO D'IASTVM EST  
CIRCA MARRIOMA SPECIATIM  
SECUNDVM STATUTA  
HANOVERIENSIA

GOETHE

ILLUSTRA ICTORVM ORDINE  
GOTTINGENSIS

DE

SCHLESWIG-HOLSTEINISCA VITA MODERNA

REGIA BIBLIOTHECA

18010914

NICOLAUS DE GREEF

BRABANT

GODAARD

THESSALONICENSIS. CHARIS. DISSESTITUTIO. 1700.

18010914



INCLYTAE  
REIPUBLICAE HAMBVRGENSIS  
SPLENDIDISSIMO SENATVI  
VIRIS MAGNIFICIS  
PERILLVSTRBVS, EXCELLENTISSIMIS  
AMPLISSIMIS  
PATRIAEC PATRIBVS



FAVTORIBVS OPTIMIS  
SPECIMEN HOC IN AVGVRALE  
PIETATEM ET OBSERVANTIAM  
DECLARATVRVS  
D. D. D.

TANTORVM NOMINVM

CVLTOR OBSEQVIOSISSIMVS  
NICOLAVS DE GRAFFEN.



## CONSPECTVS.

### I. Pars Prior.

**C**ausae matrimoniales, quarum diuersus est significatus et latior et strictior. §. 1.

Significatus priori sumtae iura concernunt, statum matrimonii vel internum vel externum, praefertim relationem illam erga rem publicam ecclesiamque. §. 2.

Quamquam vero haec iura in fundamento quam maxime differunt, confusione tamen omnem Euangelici et Hamburgenses haud euitarunt. §. 3.

Quod ad statum hodiernum attinet

I. Generatim considerari potest nexus matrimonii cum statu patriae publico. §. 4.

II. Speciatim seu quoad iura potestatis summae.

a) Legislationem scilicet §. 5.

b) Potestatem iudiciam §. 6.

c) Inspectionem summam. §. 7.

Hisque iuribus idem ac ditioni Hamburgensi ambitus finesque. §. 8.

Illa scilicet tam ad urbem eiusque ciues incolas diuersi generis ac per-

egrinos. §. 9.

Quam ad illos, qui ruri aut in oppido Hamburgensibus subdito habi-

tant, se extendunt. §. 10.

### II. Pars posterior.

Iura et obligationes circa matrimonium versantes concernunt, §. 11.

#### I. Contrahendum quo referuntur

A) Sponsalia ad quae leges non nisi capaces admittunt. Haec vero capacitas aestimatur

1) Ex aetate legitima. §. 12.

2) Ex consenu libero. §. 13.

3) Ex nexus sanguinis. §. 14.

Præter requista allata quoque

4) Consensu parentum, curatorum ac propinquorum opus est. §. 15.

C O N S P E C T U S.

Vt vero iura inde pendentia eo magis illustrari queant, principia iuris

- a) Romani §. 16.
- b) Germanici §. 17.
- c) Canonicci §. 18.

praemittuntur. Iura vero quae leges Hamburgenses statuerunt, proprius chronologice exponuntur. Et primo quidem loco de eo quod in Codice Statut. antiquo stabilitum est §. 19. differitur.

Dein lex *Burchprache* dicta illustratur §. 20.

Tunc *Statuta* anno 1603. denuo publicata quatenus hue faciunt expoununtur. §. 21.

Denique Mandatum poenale a. 1676. promulgatum, §. 22.  
Tandem Edictum poenale de eodem anno illustratur §. 23.

Atque de eius ratione, extensione vel restrictione quaedam notantur. §. 24.  
Ad rem vero facilius adhuc perspiciemdam casus varii cum poenis suis referuntur. §. 25.

Ac de iure propinquorum ac curatorum consensum ad nuptias largendi, quod adferre opus est pertractatur. §. 25.

Inter requisita ad sponsalia quoque refertur, ne quis sponsarium vinculo sit obstrictus, quo loco simul de *concurso sponsalium* ex iure communi ac patrio agitur. §. 26.

Ex sponsalibus vero obligantur desponsati ad matrimonium consummandum. §. 27.

Nisi iusta adsit repudii causa. §. 28.

- B) Sollennia quae circa matrimonium consummandum occurunt sunt  
a) Proclamatio. §. 29.  
b) Benedictio sacerdotalis. §. 30.  
c) Conscensio thalamii. §. 31.

II. *Contractum matrimonium* cuius considerari possunt effectus tam iuris com. quam patrii. §. 32.

III. Tandem quoque referuntur modi quibus matrimonium resoluitur, scilicet

- a) Mors
- b) Diuortium tam in sensu
  - α) Latiori quo etiam annullatio huc refertur, quam §. 33.
  - β) Strictiori cuius causae adducuntur §. 34.

ac judex competens determinatur. §. 35.

Effectus diuortii tandem breuiter quoque notantur. §. 36.

C A.





## CAPVT I.

DE

### CAVSIS MATRIMONIALIBVS IN GENERE, CVM PRIMIS EARVM AD STATVM HAMBVRGENSEM PVBLICVM RELATIONE.

#### §. I.

**O**mnia iura, omnesque obligationes, qualescumque etiam sint, quae respectum ad matrimonium habent, non sine ratione ad *ius matrimoniale* referri possunt, et interdum quoque referri solent. Rerum propius considerata, ingens mox inter eiusmodi iura, quae circa matrimonia versantur, occurrit differentia. Quaedam enim iura ex matrimonii ipsis natura ac conditione, quaedam vero magis ex arbitraria contrahentium determinatione emanare videntur. Quid enim e. gr. circa sponsalia, nuptiarum ritus, diuertia iuris sit nec ne, non tam

tam partium voluntas, quam ipsa natura matrimonii, vel a legibus positius sic formata determinat. Aliter vero se res habet si de iure dotis, successionis coniugum determinando quaestio mouetur, vbi magis ad id, quid inter coniuges conuentum sit, respicimus. Inde patet, ut mihi saltem videtur, illum iuris matrimonialis significatum, quo iura tantum ea intelliguntur, quae ad vinculum matrimonii vel contrahendum vel dissoluendum tendunt, non nisi strictiorem censendum esse. Interest tamen sic distinguere, quum ratione fori, cuius cognitioni subsunt causae matrimoniales, ratione legum secundum quas iudex illas decidere obligatur, diuersa occurrat ratio. Nec est quod obstatre possit, quominus distinctionem hancce ad Patriam applicem. Huius enim civitatis celeberrimae leges non tantum ea quae vinculum matrimonii vel contrahendum vel dissoluendum concernunt, sed et talia determinarunt, quae e. gr. circa dotis constitutionem, successionem etc. obuenire possunt. Ego vero tantum illa iura matrimonialia, quae significatu strictiori comprehenduntur, pro virium mearum tenuitate aliquatenus explicare apud me constitui. Quod ideo praemonendum esse existimaui, ne alia forte aliis exspectet, ego vero alia pertracturus sim.

## §. II.

Quae vero iura matrimonium ipsum proprius concernunt, et ad eius essentiam pertinent, inter se quoque valde differunt. Matrimonium enim ad instar cuiuslibet societatis alius, vario respectu considerari potest. Occurrunt scilicet in illo iura et obligationes, quae circa nullum cuiusvis tertii respectum, socios tantum inter se concernunt. Contra si hanc societatem in relatione ad alias societas spectaueris diuersa inde iura, diuersaeque obligationes deduci posse videntur. Iu-

ra

9

ra prioris generis, seu quae ad aliam societatem nullum prorsus habent respectum, ad matrimonii statum *internum*, haec vero ex relatione ad societas alias deducta, ad statum *externum* referri possunt ac debent. Referri vero posse matrimonium non ad societatem solum paternam ac herilem, sed et ad ecclesiam et rempublicam, nemine sane haesitante probare supersedeo. Qua relatione ad ecclesiam et rempublicam nulla insignior, nulla maioris momenti esse potest, quippe quae plura nobis eaque utilitate grauissima subministrat capita, ex quibus iura officiaque deriuantur. Quas nonne determinationes circa sponsalia, matrimonium, eius sollennia, impedimenta, durationem, ecclesia aequa ac respublica attulerunt? utriusque enim societatis quam maxime interest, matrimonii societatem, cui ecclesia educationem, respublica vero praeter hanc quoque vires suas ac perennitatem debet, promouere. Exinde legum dispositiones, quas ius naturae plane ignorat, explicari debent. Hos vero respectus, qui circa matrimonium ocurrunt, diuersos a se inuicem curate distinguere iuuat, ne plane diuersa confundantur, vel ordine saltē peruerso explicentur. Et quidem de illis quas ius naturae subministrat primum agendum esse mihi videtur, quum exinde determinationes, quas leges positivae aequa ciuiles ac ecclesiasticae, vel ipsius matrimonii naturae addiderunt, rite explicari possunt. Simul tamen cum primis ad patriam quantum scilicet eius instituta ac leges faciunt, respicere non deero.

### §. III.

Sed diuersitas haecce respectus, quem matrimonium et ad rempublicam et ad ecclesiam habet, impedire non potuit, quo minus iura quoad originem suam subinde confundentur. Longius quidem abest

B

eius-

eiusmodi confusionis periculum ab ecclesia Romano-catholica, quae fines potestatis vtriusque, secularis ac ecclesiasticae etiam eo conseruare studuit, vt a posterioris generis potestate laicos, ergo quoque imperantes excluderit. Hinc inter Catholicos sine ullo negotio intelligi potest, vtrum ius quoddam, matrimonium concernens, ecclesiasticum an potius seculare sit. Eo magis vero obnoxia est ecclesia Evangelica eiusmodi perturbationi, quum in illa ut plurimum vtramque potestatem in principe coniunctam videre liceat. Vnde vero haec coagulatio, an ex translatione an aliunde orta sit, non est huius loci inquirere. Si exemplum huius coagulationis quaeris, Patriam ipsam allegare iuuabit. In hac enim republica, ius circa sacra disponendi, eodem modo, quo reliqua iura circa profana exercentur, nec Consistorium, nec judicium matrimoniale peculiare, ut in plurimis territoriis euangelicis videre licet, hic inuenitur (a). Quo vero modo Respublica Hamburgensis iura, ante sacra repurgata solum episcopis competentia, sibi adquisivierit, de eo non satis certe constat. Pace lectoris benevoli tamen quaedam, quae rem illustrare possunt ex historia patria praemittam.

Quatinus enim ante reformationem a B. Luthero effectu tam salutari suscepitam, potiora, quin plurima quoque iura, quae matrimonium concernere videbantur, Ordinarius in patria quoque sibi asseruerit, tamen vestigia historica nos certiores reddunt, maiores nostros, licet laicos, etiam circa matrimonia, quae verbi salutaria videbantur subinde determinasse. De matrimonio enim codex statutorum *Hamburger Stadtbuch*, de cuius aetate dubium nondum omne sublatum est, quum ab aliis ad annum 1292. ab aliis meliori vti videtur iure ad annum

1494.

a) I. F. BERKEMEYER in Diss. de iure circa sacra in libera Rep. Hamburgens. cum jurisdict. ciu. connexo Sect. I. §. 12.

1494. referatur, peculiari capite non solum de sponsalibus *von Vertrouwinge*, sed et de iure mariti in vxorem, de stupro atque adulterio plura constituit b). Reformatio illa a B. Luthero tam salutariter coepit Hamburgi quoque assecas non paucos mox assecuta est. Iam enim anno 1522 Iurati accitis primoribus ciuium, et cumprimis praefectis parochiarum (*Werkmeißlerämter der vier Kirchspiele*), de abusibus clericorum, qui tam in secularibus, quam in ecclesiasticis, et in specie circa rem scholasticam irrepserant non amplius tolerandis, sed potius, salua tamen in omnibus Senatus autoritate tollendis, inter se conuenerunt c). Postea Ao. 1528 Senatus ipse ciuesque religionem euangelicam introducendam esse concluserunt, ac sequenti anno omnia recessu rata habuerunt d). In eodem recessu ordinatio ecclesiastica a celeberrimo Theologo **B V G E N H A G I O** confecta, approbata est. Eius ideo hoc loco mentionem facere oportuit, quum etiam nonnulla de causis matrimonialibus contineat, quae transigentes simul rata habuerunt. Nec Constitutio illa interimistica, a Carolo V. 1548. promulgata, sacra euangelica Hamburgensia perturbare valuit. Potius eodem anno Senatus ciuesque religionem euangelicam conferuandam denuo siibi inuicem stipulati sunt. Ex quo tempore directio sacrorum rerumque quae ad illa referri solent, eodem modo, quo reliqua potestatis summae iura, a senatu et ciuibus exercita fuit, nec lites alicuius momenti desuper ortas sunt, donec sub initio huius saeculi motus Krum-

B 2

holzia-

b) Extat hoc antiquitatis venerandae monumentum dialecto Saxonie inferioris conscripsum in *Thesano iur. prou. et statutar.* Tom. I. Sect. I. p. 633, et capit qui dem quod hic spectat p. 674 lqq.

c) Formulam conventionis huius exhibet I. F. MAYER im *Euangel. Handb.* p. 281. **S T A P H O R S T** *Hamb. Kirchengesch.* Part. II. Tom. I. pag. 4.

d) Recessus de anno 1529. extat in *LÜNIGII Arch. Imp. Part. spec. Cont. IV. T. XIII.* p. 965.

holziani Patriam misere dilacerarunt. Attamen haec quoque lites per Recessum e) autoritate Commissariorum Caesareorum inter Senatum ciuesque anno 1710. celebratum, feliciter satisfactae sunt. In hac lege patriae fundamentali quoque determinatum est, quaenam iura circa ecclesiastica matrimonialiaque cuiilibet reipublicae parti, Senatui scilicet et ciuibus in posterum tribuenda sint. Praesertim vero iura huiusmodi, Senatui reseruata, praecise enumeranda curarunt f).

#### §. IV.

Relationem causarum matrimonialium ad statum Patriae publicum hodiernum quod attinet, procul dubio asserti posse videtur, potestatem ipsam, relationes, quae matrimonio cum Republica sunt, determinandi, in regula non nisi Senatui et ciuibus simul competere. Patet id I. ex natura ciuitatum imperii vniuersim perponderata, in quibus superioritatem territoriale ipsam, non vero semper et ubique exercitum penes totam ciuitatem esse comprobari potest. Sed ne iusto plus a via aberrem, ad testimonium Viri celeberrimi praceptorisque pie colendi Generos. ac Ill. de SELCHOW prouoco g) quod II. intuitu ciuitatum illarum, quibus forma magis democratica est, dubium prorsus nullum admittit. Sed hisce praetermissis, Recessus inter Senatum ciuesque Ao. 1710. initus, assertionem meam iam satis firmare valet. In illo scilicet τὸ κύριον Senatui et ciuibus attribuitur h), et ab hac regula

cau-

e) Exhibit illum LÜNIGIVS in Arch. Imp. Part. spec. Cont. IV, p. 1225.

f) Quae in art. 5. cit. Recess. hinc inde occurunt.

g) in Elem. iur. pub. P. I. §. 425.

h) Recess. d. 1710. art. 1. Weilen die Gründt. Verfassung hiesiger Regiments-Form darin

beynhet -- daß das höchste Recht und Gewalt bey EE. Hochw. Magistrat und

der Erbgesessenen Bürgerschaft -- coniunctim und zusammen, nicht aber einem oder

causas matrimoniales non esse exceptas, probant recessus ac leges, quibus concursus ciuium ad res matrimoniales determinandas omni prorsus dubitatione exemptus apparet. Attamen exercitium quoque huius potestatis, semper et ubique utriusque parti coniunctim competere, asserere nolim. Quod vero ut curatus explicare possim, singulas partes, in quas summa potestas dispesci solet, potestatem scilicet I. legislatoriam, II. iudicariam et III. inspectoriā ordine perscrutari e re esse videtur.

### §. V.

*Legum ferendarum potestatem in Repub. Hamburgensi inter Se-*  
*natum ciuesque communicatain esse, et forma Reipublicae suspicari*  
*patitur, et leges fundamentales expresse sanciunt i).* Nec discriben-  
*ter leges politicas et ecclesiasticas forma Patriae admittit. Simul quo-*  
*que cum ecclesiasticis, legum matrimonialium, ut speciei legum ecclae-*  
*siaisticarum, mentio facienda est. Etiam matrimonium haud raro obie-*  
*ctum sollicitudinis legislatoria Patrum ciuiumque fuisse, satis et abun-*  
*de exemplis probant leges Patriae k).* In potestate tamen legislatoria  
*exercenda hoc inter leges perpetuo valituras, ac Mandata, seu leges*

B 3

tem-

*oder andern Theil priuative und allein bestanden - - so bleibt und wird solches als*  
*ein ohnveränder- und unwiederrufliches Fundamental- Gesetz hiemit nochmahn*  
*bestätigt und fest gestellt.*

i) *Recess. de an. 1605. art. 28. Ein Erbar Raht wil ok tho neenen Tiden unsre Stadt-*  
*Bock, Recessus und Landrecht, vorändern, mindern astte vermehren, idt sy mit*  
*Medewethertheit der ganzen Bürgerschop - - extat apud LÜNIG. l. c. p. 1080. et*  
*Recess. de an. 1710. art. 16. Wenn ganz neue Gesetze zu machen, hat EE. Rath*  
*und gesäßte Bürgerschaft sich darob zu vergleichen. apud LÜNIG.*  
*l. c. 1230.*

k) *Praeter Statuta Hamburg. quae Part. II. Tit. XI. de matrimonio eiusque annexis*  
*agunt, breuitatis ergo Recessus de anno 1529. 1619. 1710, Mandatum contra le-*  
*nones ac Edictum poenale utrumque 1676, promulgatum nominasse sufficiat.*

temporarias, occurrit discriben, quod illae a Senatu ciuibusque, haec contra a solo Senatu, cum praescitu tamen vel ad sensu Deputatorum e ciuibus condi debeat<sup>1)</sup>. Deficientibus vero legibus patriis in Repub. Hamburgensi ius Romanum ac Canonicum, non solum ex receptione tacita generali, sed et expressa viget<sup>2)</sup>. Quod quidem ideo monendum est, quia, receptis his simul legibus, earum auctoritas quoque in causis matrimonialibus agnoscenda est, quatenus doctrinae euangelicae non aduersantur.

Quod attinet vero ad *ius dispensandi*, utrum annexum potestatis legislatoria, illud in patria praeferit in causis matrimonialibus ad iura Senatus referata, in legibus fundamentalibus refertur<sup>3)</sup>, idque in causis maioris momenti ipse Senatus immediate, in leuioribus vero per alios magistratus, Aediles (*die Wedde-Herren*) nempe, exercet<sup>4)</sup>.

## §. VI.

Ad alteram potestatis supremae partem, *iudicariam* nempe procedam. Ante omnia quaestio hoc loco mouenda erit: *cui iurisdictio matrimonialis in Republica Hamburgensi competit?* Quae quidem eo ma-

gis

1) cf. *Recess. de 1710*, art. 15, item *Sammlung der Hamb. Gesetze und Verfass.* Th. II. p. 285.

2) Vid. *Recess. union. de 1710*, apud *LVNIGIVM l. c. p. 1193.*

3) *Ordinat. eccl. de an. 1556*, art. 50 extat in der Samml. der Hamb. *Gesetz. und Verfass.* Th. VIII. p. 312. *Recess. de 1710*, art. V. E. Erb. Magistrat verbleiben alle denselben qua magistrati competitende und in *Recessibus* Gewohnheit und Herkommen fundirte und de novo bestättigte Gerechtsame, nemlich 16. Das ius dispensandi in Ehe-Sachen soweit die göttliche Rechte es zulassen.

4) *S. H. G. und V. Th. VIII.* p. 815. sic ad aediles spectat cura circa proclamacionem copulamque sacerdotalem.

gis cōsideratione digna est, quo magis patriae forma in hac resoluenda a communi regula recessit. Nimurum in territoriis ciuitatibusque imperii A. C. addictis tantum non omnibus, non solum Consistorium, sed saepius quoque iudicium matrimoniale peculiare, quanta etiam eius sit diversitas ratione membrorum finiumue, occurrit. Mox enim seculares tantum eiusmodi iudicium constituunt, mox etiam clerici aduocantur. Haud tamen desunt territoria et ciuitates imperii, in quibus causae matrimoniales ad instar aliarum, in iudicio ordinario pertractantur.

In Patria ius circa sacra cum iuribus caeteris ex potestate seculari fluentibus ratione subiecti, confusum ac occupatum est p). Quae formula originem suam a principio reformationis B. Lutheri petuisse videtur. Iis nempe haud contrariari videbatur, causarum matrimonialium curam magistratibus etiam politicis relinqui posse. Id quod in patria mox adoptatum fuisse exinde colligo, quod in Ordinatione iamiam Bugenhagiana, Ao. 1529. condita, Senatus causas matrimoniales, et quidem leuiores sibi soli, grauiores vero consulto antea Superintendentे decidentas referauit q). Nec postea, quotquot motus fuerint orti, hoc mutatum esse, ullum ex quo probari posset vestigium adest. Ciues vero Hamburgenses a litibus matrimonialibus iudicandis non penitus exclauduntur, sed in iudicio inferiori, cui diuortiorum cognitio concessa

est

p) Ad legitimam occupationem Senatus provocauit. Vid. S. H. G. u. V. Th, VIII.  
p. 461.

q) Ordinatio eccles. de an. 1529. art. 23. van Eheßänden. *Wen Ehesaken to Hader kumen, also dat een Part, edder tho Tyden beyde Part, wolden frevelick und modtwilige wedder Godt handeln; idt sy den am Dage, edder bedarf nach Rechtes Wyse werden verbüret, solkes alles will ein Erbar Rädt by sik beholden, und schaffen einem yderen Recht. Ville aveft ein Casus vor, schwär to ordelende, so will ein Erb. Rädt den Superattendenten besöken lathen, edde ebn dartho theen.*

est r), quoque ad iurisdictionem matrimonialem concurrunt s). Iudicio vero superiori, seu Senatui ipsi, praeter appellationem ab inferiori iudicio, cognitio de gradibus prohibitis, et confirmatio sententiae de diuortio ex capite desertionis malitiosae reseruata est. Ad diuortium vero ex capite adulterii impetrandum superius et inferius iudicium pro arbitrio actoris adiri potest, quum in hac causa concurrente gaudeant iurisdictione. Lites super copulam sacerdotalem Senatus quoque dirimit, licet Praetori quoque non omnis cognitio de hac re denegari possit. Hic quoque mandata poenalia Senatus exsequitur. t) Separationem a thoro et mensa Senatus pari modo cognitioni suae reseruauit, u)

### §. VII.

Quod tertiam, tandem potestatis supremae partem *inspektoriam* attinet, sollicitudo Senatus se quoque eo extendit, ne ex matrimonii contrahendis, contractisue, detrimentum capiat, respublica. Partem vero huius inspectionis finium ambitu maximorum aliis magistratis, cum primis Praetoribus et Aedilibus (den Weddeherren) delegavit. Officium scilicet eorum non solum in scortis persequendis puniendisue, sed et in aliis negotiis ad matrimonium spectantibus versatur. Sic e. gr. apud Aediles, qui matrimonium inire cupiunt proclamationis ac benedictionis sacerdotalis veniam petere debent. v) Idem quoque in casu, quo causae cognitione opus non est, w) e. g. ratione copulae sacerdotalis, regulariter in ecclesia parochiali celebран-  
dac

v) S. H. G. n. V. Th. III. p. 522.

s) S. H. G. n. V. Th. III. p. 521.

t) S. H. G. n. V. Th. III. p. 495.

u) Collect. cit. Th. III. p. 523.

v) Vid. Mandatum Ampl. Senatus d. 29. Aug. 1671, in Collect. Mandat. P. I. p. 28f.

w) S. H. G. n. V. Th. IV. p. 76.

dae x), proclamationis remittendae, gaudent iure dispensandi. Benedictionis sacerdotalis apud exterros clam celebratae cognitio quoque Aedilibus reseruata est, licet negare nolim, Praetorem quodammodo, praesertim in exequendo Senatus mandato concurrere y).

### § VIII.

Quaenam iura circa matrimonium Reipub. Hamburgenſi competent haecenius recensui. Nunc porro ad quaestione, *quousque haecce potestas iuraque ipsius sese extendant*, resoluendam accedam. Quum respublica Hamburgenſis non in vrbe ipſa ſolum, ſed et in diuersis aliis locis ſuperioritate territoriali gaudeat, generatim responderi poſſet, co- uſque potestate ipſius circa matrimonium porrigendam eſſe, quousque ſuperioritas territorialis procedit. Sed ob diuerſas ſubiectorum determinationes, quae hic occurrunt, priuam de potestate in vrbe, dein vero quoque de nexu reliqui territorii ratione matrimonialium agendum erit.

### §. IX.

In vrbe omnes personae vel tales ſunt, quibus nexus quidam cum republica eſt, vel tales quae abſque omni nexus niſi quem illarum praefentia infert in territorio adsunt, ſeu, vt breuius dicam, peregrini. Quod personas prioris generis attinet, vario iterum modo diſtinguaeſt. Aut enim iure ciuitatis pleno, aut incolatus tantum iure gaudent. Illas potestati ciuitatis ſubiectas eſſe per ſe patet. Ad homines potius ſecundi generis properandum erit. Etiam inter has ipſas

in

x) Collect. cit. Th. VIII, p. 815, et Th. IV, p. 76.

y) Collect. cit. Th. III, p. 495.

in patria multum discriminis, ratione scilicet iurium competentium, occurrit. Sic societas mercatorum Anglorum, *Court* vocata, gaudet iuribus quam proxime ad iura ciuium accendentibus. Inter alia illis quoque iurisdictio in omnibus causis, modo socii inter se litigent, concessa est <sup>a)</sup>). Sin autem controversia Anglo a ciue, incola aut peregrino moueat, actoris ab arbitrio pendet, vtrum Angulum coram iudicio societatis, an potius coram ciuitatis iudice ordinario conuenire malit <sup>a)</sup>). Quae omnia ob dispositionem conuentionis generaliorem suo modo ad causas matrimoniales recte applicari posse mihi videntur. De reliquis incolis, Belgis, Gallis, religionis ergo patria expulsis, aliisque cuiuscunque religionis incolis nil, quod peculiai pertractione dignum es-  
set, occurrit. Sublunt scilicet omnes potestati supremae Reipublicae, nec est, ex quo illos ab hac potestate eximere oporteat. Ratione Iudeorum Lusitanorum tamen, incolarum Hamburgensium hoc singulare occurrit, quod in causis matrimonialibus quidem secundum ius Mosaicum illis viuere permisum sit, attamen eo restricti sint, ut contra dispositionem conuentionis de an. 1650. art. 16. 17. 18. in gradibus iure Mosaico et quidem Leniticorum XVIII. prohibitis matrimonia inire, incestum committere, polygamiam exercere, et per litteras diuinitatis vel alio modo matrimonia separare prohibantur <sup>b)</sup>). Quae postea et ad Iudeos Germaniae superioris (*hochdeutsche Juden*) extensa sunt <sup>c)</sup>.

Quod

<sup>a)</sup>) Vid. Art. VII, Conuentio[n]is a Repub. cum hac societate an. 1611. inita, 1618. tam  
men demum confirmatae. Extat in der S. H. G. u. V. Th. II. p. 337.

<sup>a)</sup>) Art. VIII. cit. Conuentio[n]is.

<sup>b)</sup>) Vid. Neues Reglement der Kaiserlichen Commission für die Judentüschafft in Hamburg,  
so Portugiesisch als Hochdeutscher Nation de 7. Sept. 1710. art. 23. item Mandatum de 21. Ian. 1734.

<sup>c)</sup>) S. H. G. u. V. Th. II. p. 393.

Quod denique peregrinos attinet, illi secundum principia iuris, vel me non monente, potestati supremae haud alio modo subesse intelliguntur, nisi vel deliquerint, vel actum, quo in subiectionem consentire praesumi possunt, susceperint. In matrimonialibus ergo quoque obligantur legibus prohibitius e. gr. edicto poenali supra iam allegato. Id enim Senatus ad peregrinos expresse extendit et secundum id quoque in casibus obuenientibus decidere non dubitauit d). Nec incolis alii religioni quam A. C. addictis exercitioque religionis deslitatis, vt benedictio a ministro suo peragatur, poscere licet e).

## §. X.

Alterum genus personarum, Reipublicae Hamburgensi in matrimonialibus subiectarum, sunt illae, quae in *agris vel suburbio degunt*. Varia in his occurrent singularia quae breuiter enumerare iuuabit. Ante omnia vero monendum est, magistratus, quibus intuitu loci cuiusdam competit iurisdictio saecularis, etiam ecclesiastica et matrimoniali gaudere f). Leges eadem territorio ac ciuitati praescriptae, aequre obseruandae sunt, nisi quatenus I) ius prouinciale *Landrecht dictum* exceptionem a regula fecerit, aut II) Ordinatio ecclesiastica ac scholastica ruri degentibus praescripta, aliud fuserit g). Forum quo controversiae in territorio crtae disceptantur, quoque *Dieleninstanz* vocatur, ac singulis XIV. diebus, in aedibus Patronorum vel Praetorum prouincialium litigantibus aperitur. Huc quoque causae matrimoniales, tam voluntariae, vt concessio schedulae proclamationis, dispensationis

C 2

in

d) cf. Coll. cit. Th. IV. p. 47.

e) Mandatum de 28. Jul. 1719.

f) S. H. G. n. V. Th. XI. p. 589.

g) extat in Coll. cit. Th. XI. p. 490.

in gradibus prohibitis, quam contentiosae iurisdictionis e. gr. separatio a thoro et mensa, salua de caetero prouocatione ad Senatum *h)* referruntur.

Nunc de singulis foris, quae lites matrimoniales illorum, qui ruiri seu in territorio habitant, cognoscunt, quaedam adhuc notatu digniora proferre constitui.

In *Suburbio St. Georgio dicato*, cuius parochiae incolae regionis *Stadtdeich* und im *Neuenwerk*, porro villae domus hospitalis *St. Spiritus Barnbeck et Eilenbeck* incorporatae sunt, iurisdictio ecclesiastica et in specie matrimonialis iisdem magistratibus, quorum cognitioni haec regiones subfunt, competit. Sic Patronorum seniori ratione coenobii *St. Ioannis*, domus Hospitalis *St. Georgii*, et Praetori provinciali in districtu *Ham et Horn* intra fines regionis sibi subiectae, iurisdictio matrimonialis ex formula nostra attribuitur. Quod vero villicas Barnbecenses ac Eilenbecenses attinet, obseruantiae conuenit, proclamationis concessionem a Praefecto agri (*Laudvorsteher*) petere. In causis vero reliquis e. gr. ratione matrimonii prohibiti, dispensationis ac diuortii cognitio ad totum Seniorum Ciuium (*Oberalten*) Collegium spectat *i).* In districtu auf dem *Hamburger-Berg* vocato Praetor provincialis (*Landherr*) causarum matrimonialium decidendarum potestate gaudet *k)*. In villis, quae *Waldörfer* dicuntur, primus magistratum hisce villis praefectorum (*der älteste Waldherr*) eam exercet. Hic igitur solus de validitate sponsalium, gradibus prohibitis, consulto tamen

pa-

*b)* cf. Collect. cit. Th. XI. p. 386-388.

*i)* Collect. cit. Th. XI. p. 448. sq.

*k)* Collect. cit. Th. XI. p. 460.

parocho, separatione quoad thorum et mensam, quia ipso diuortio cognoscit *l*). Nec sine eius concessione, per schedulam peculiarem data, parochus despontatos matrimonio iungere valet. In terris *den Marshländer, Finkenwärder und dem Hamburger Krauel Praetori prouinciali* iurisdic<sup>tio</sup> matrimonialis itidem competit *m*).

Coronidis loco quaedam de praefectura *Ritzebüttel* adferre licet. Praefecti scilicet Ritzebüttelensis cognitioni soli, omnes causae processu summario spongienda, et iurisdictionis voluntariae, subsunt. Ad has vero matrimoniales quoque e. gr. intuitu proclamationis, dispensationis graduum prohibitorum, diuortiorum merito referuntur *n*). At recursus ad amplissimum Senatum, (quamvis in ciuilibus tantum) litigantibus qui praefecti sententia grauatos se putant, per modum supplicationis reservatus est *o*). Huic praefectoriae praeter Ordinationem processualem antiquorem, et obseruantiam in quibusdam obtinentem leges Hamburgenses aequae ac reliquis subditis sanctae obseruandae sunt *p*).

Tandem de oppido ac praefectura *Bergedorf*, in condominio Ciuitatum Imp. Hamburgensis ac Lubecensis posita, quae hic spectare possunt, referre habet. Potestatis summae partes singulas, utriusque Reipublicae communes esse, nec me monente quilibet intelligit. Inter leges, quae oppidanis subditisque reliquis sunt obseruandae, ordinatio ecclesiastica peculiaris *q*) anno 1653 confecta, cuius caput IX. de ma-

C 3 trimo-

*l*) Collect. cit. Th. XI. p. 462.

*m*) Collect. cit. Th. XI. p. 468. *sqq.*

*n*) Collect. cit. Th. XI. p. 768.

*o*) Collect. cit. Th. XI. p. 773.

*p*) Collect. cit. Th. XI. p. 774.

*q*) Extat in Collect. alleg. Th. X. p. 750.

trimonio agit, Mandatum contra sponsalia clandestina de anno 1734, ius Lubecense, Saxonum et Hamburgense suo modo referri debent <sup>r)</sup> Jurisdictionem matrimonialem, exceptis dispensationibus, cognitione Visitatorum referatis, olim praefectus exercuit <sup>s)</sup>). Hodie eidem cognitione super sponsalibus, vtrum scilicet impedimentum adsit, in Ordinatione ecclesiastica Bergedorf. l. IX conceditur.

Qui vero parochiae tantum euidam agri Hamburgensis incorporati sunt, iurisdictione ecclesiasticae matrimonialique domini territorialis subiecti manent. Sic plures Holstiae subditi parochiani, licet ecclesiae euidam Hamburgensi uniti sint, in ecclesiasticis tamen Republicae non subsunt. Contra vero quoque subditi Hamburgenses e vico Bilsem parochiae Bramstaedt in Comitatu Ranzouieni incorporati, nihilominus Patronis Hamburgensibus subsunt.

<sup>r)</sup> Collect. cit. Th. X. 247. sq.

<sup>s)</sup> Collect. alleg. Th. XI. p. 447.

## C A P V T II.

DE

## IURIBVS ET OBLIGATIONIBVS EX MATRIMONIO ORIVNDIS IPSIS, SECUNDVM IUS HAMBVRGENSE.

## §. XI.

In iuribus et obligationibus, quae circa matrimonium versantur, pertractandis, eum sequi animus est ordinem, ut primum de iuribus circa sponsalia ineunda, dissoluendaque, dein de solennibus, quae ad matrimonium consummandum leges nostrae requirunt, tunc de iuribus quae ex matrimonio contracto, et tandem de iuribus circa matrimonia dissoluenda, dissolutaque acturus sim,

## §. XII.

Omnium et singulorum qui matrimonii sunt capaces, liberam esse illud ineundi facultatem <sup>t)</sup>, inter omnes satis constat. Sed hanc regulam exceptionibus suis non deslitutam esse pluribus, quoque omnibus notum est. Has exceptiones nec ius patrium ignorat, sed illas vel expresse notavit, vel saltem via cum iure communii illius quoque restrictiones facile recepit. Cum primis illud ad aetatem eorum, qui matrimonium appetunt, respicit. Terminum, quem natura ob diueritatem personarum maximam determinare non potuit, Iustinianus

fixum

<sup>t)</sup> c. 23. X. de spons. et matrim. Perill. G. L. BOEHMER in Princ. iur. can. §. 347.

fixum constituit u). Ius Pontificum contra rem, quae nec semper nec utique caute determinari potuit, indeciam reliquit, magisque ad habilitatem corporis x) respicere iussit, quamvis abnuere nolim, hoc ius hinc inde terminum legalem agnouisse videri. Ius patrium requirit pubertatem. Sic enim disponit: *Wenn zwei mindige Personen, aus freiem Willen, mit Bevollbortung ihrer Eltern in unverbotenem Grade, sich mit einander ehelich einlassen und verbinden; solches wird für eine rechte Ehe geachtet y).* Licet vero vox *mündige* hic occursens, in iure Germanico, et patro in specie, significatu adhibeat diuerso, tamen hoc loco pubertatem denotari, alio ex loco, vbi de modis finiendi tutelam agitur z), probari potest. Ibi enim dicitur: *Alle Vormünder, so unmündigen Kindern gesetzt oder verordnet, die bleiben in Verwaltung solcher Vormundschaft, bis die Pflegkinder mündig, das ist, die Knaben vierzehn Jahr, und die Mägdelein zwölf Jahr völliglich erlangt haben.* Ex quo patet: Legislatores patrios eademi ac Romanos principia circa pubertatem adoptasse. Quod primo intuitu ideo mirum videri posset, quum ius Germanicum alias differentiam inter pubertatem et maiorenitatem, et via cum illa, eam inter tutores et curatores ignoret, respuatque. Sed *mündig* maiorem hic non denotare aetatem, vel ex eo quoque apparet, quod ius patrium alio loco a), quo minoribus XVIII. annis, (qui annus ante annum 1732. terminus maiorenitatis fuit), de bonis nouiter acquisitis sine curatoris consensu testari interdicitur, matrimonium ad hunc terminum non restringit.

Legis

u) pr. Inst. de impitiis. l. 1. D. de Rit. Nup.

x) c. 3. X. de despousat. imput.

y) art. 1. T. II. P. 3. Statut. Hamb. de au. an. 1603.

z) Stat. Hamb. Part. 3. Tit. 8. art. 21.

a) Stat. Hamb. Part. 3. Tit. 1. art. 13.

Legis verba sunt: *Ferner mögen auch von wolgewonnenem Gut, kein Knabe unter achtzehn Jahren, noch ein Frau:person sie sey ledig oder verheyraethet, ohne Vormund in ihrem Testamente oder letzten Willen etwas vergeben.* Loquitur quidem lex de muliere in specie, nulla autem ratio, quo minus et ad masculos hanc dispositionem extendamus, videtur obstat.

### §. XIII.

Requiritur quoque ad matrimonium, quum inter pacta merito referatur, consensus, isque liber, in quo ius Romanum, Canonicum et patrium amice conspirant. Hoc enim expresse postulat *einen freyen Willen b)*, quod breuiter quidem, at eo neruosius dictum est. Scilicet ex eo statim quilibet intelligit, omnia quae libertati voluntatis humanae generatim obstant, matrimonium quoque impeditare. Sic voluntatis libertatem impedit *dolus*, siue alterutrius siue tertii c), quum a parte eius qui inducitur, error, libertati aduersans, cum illo conne xus sit. Obstat porro *metus*, modo non sit tantum reverentialis, iniustus, quominus quis in matrimonium consentiat d). Iuramentum quoque nullitatem hancce sanare nequit. Nec aliter res se habet ratione *erroris*, liberam voluntatem, vel plane vel aliquatenus tollentis. Quod vero hoc impedimentum in specie attinet, leges patriae e) de errore circa opes sponsae statuerunt, illum non quidem matrimonium iamiam contractum, attamen sponsalia tollere. Postea vero transactio ne inter Senatum ciuesque hoc immutatum est; Recessu scilicet de an-

b) Stat. Hamb. P. 2, T. 11. art. 1.

c) cap. 26. X. de sponsalibna.

d) c. 14. 15. 28. X. de sponsalibus c. 11. X. de defpons. impub.

e) Stat. Hamb. Part. 2, Tit. 11. art. 7.

no 1618. f) cuius verba, cum Statuto derogent huc referri merentur. Sunt vero sequentia; *Wenn aber einer mit einer Jungfrauen oder Wittwe sich ehelich eingelassen, und denselben ein genannter Brautschatz zugesaget und darauf die Ehe-Verlöbniß versprochen, der Brautschatz aber nicht folgen mag: so kann in diesem Falle nach gehaltener Hochzeit die Trennung keine Statt haben, sondern er muß dieselbe die er hat genommen behalten, aber vor dem ehelichen Beylegare und Copulation kann die Verlöbniß getrennet werden.* Per hanc dispositionem ius sponsi eo restrictum est, vt eo tantummodo casu a sponsalibus recedere licet, quo illi pacta dotalia dotem certam, *einen genannten Brrutschaz*, promiserunt. Deficiente enim eiusmodi promissione, sibi ipsi errorem circa opes sponsae imputare debet. Hoc ius sponso a legibus datum, ceu ius singulare ad sponsam, casu, si circa patrimonium sponsi errauit, extendi nequit, quia ex parte huius sufficit bona, ex quibus sponsa portionem statutariam aliquando obtinere possit, adesse, haud vero speciali determinatione bonorum intuitu opus est.

Dum leges patriae voluntatem liberam requirunt, per se patet, matrimonium ob defectum consensus, e. gr. in furiosis, infantibus impediti. In vtroque tamen casu, siue libertas in totum, siue in tantum sublata vel impedita sit, impedimentum per ratificationem e medio tolli potest, quo ipso matrimonium validum redditur.

#### §. XIV.

Inter impedimenta quoque, quae matrimonium dirimunt publica, gradus prohibitos referri, apud omnes constat. Aliter de illis Impera-

f) Samml. Hamb. Gesetze und Verfaß. Tb. IV. p. 71. Thesaurus iur. prou. et statutar. T. 1. Seßt. II. p. 288, 483. 729. 732 870.

peratores, aliter Pontifices, aliter Status Imperii Euangelici statuerunt. Ius Romanum enim matrimonia illarum tantum personarum, quae secundo gradu, ciuiliter computato, sibi inuicem coniunctae erant, restrinxit. Quod vero ius Pontificium ita male habuit, vt iusto amplius extenderit. Attamen postea Pontifices ipsis prohibitiones suas ad gradum quartum restringere melius censuerunt. Euangelici vero, qui de sensu ac obligatione legis Mosaicae inter se litigare nondum desierunt, gradum tertium lineae inaequalis prohibendum, aequalis lineae vero permittendum esse plerumque statuunt. Ius patrium quidem matrimonium ob gradus prohibitos denegat, verbis *in unverbotheuem Grade g).* Sed rem proprius determinandam non curauit. Quamobrem aliunde erui debet, quinam in Patria inter gradus referantur prohibitos. In hac re cum aliis Euangelicis consentit, gradum tertium inaequalis lineae quidem matrimonio esse impedimento, attamen dispensationem, in casibus lege diuina expresse non prohibitis, a Senatu concedi posse. Hanc vero dispensandi potestatem intuitu secundi gradus, Recessus nouissimus non nisi ob rationes grauiores et sufficientes, de quibus vero soli Senatui cognitio competit, exercendam esse iubet *h).* Sub gradu igitur prohibito Statuta nostra eos tantummodo casus intelligunt, in quibus dispensatio, vel non impetrata est, vel ob legem diuinam contrariam impetrari plane nequit. Impetrata vero dispensatione, gradum prohibitum matrimonio ineundo amplius non obstat, per se patet.

D 2

§. XV.

*g)* Perill, G. L. BOEHMER in *Princip. Iur. Can.* §. 390.

*h)* Hic Recessus extat apud LÜNIG. in *Arch. Imp. Part. spec. Cont. IV.* p. 1227. Art.

*V. n. 12.* Das Ius dispensandi in Ehesachen, so weit die göttliche Rechte es zu lassen, jedoch dass auch hierin behutsam verfahren, und die Dispensationes nicht sonder erhebliche und wichtige Ursachen denen Personen die im andern Grad der Collateral-Linie einander verwandt, verflattet werden sollen.

---



---

### §. XV.

Praeter haec vero alia adhuc occurrunt requisita, quae a quibusdam tantummodo personis obseruanda sunt. In quibus eminent *consensus personarum*, quarum directioni subsunt, vel quibus cognationis iure coniunguntur matrimonium imire cupientes. Ad priores, praeprimis parentes, attamen quoque curatores aliqui praepositi e. gr. militiae, domini patrimoniales, aliique merito referuntur, quos nunc speciatim enumerare animus est.

*Consensu parentum in nuptias liberorum opus esse, in eo ius Romanum, Germanicum, Canonicopontificium et patrium consentiunt.* Attamen in re curatus determinanda, seu in iuribus circa consensum statuendis, valde inter se differunt. Differentiam vero hancce curatus exponere, ad ius patrium melius explicandum, valde iuuabit.

### §. XVI.

Ante omnia praemonendum est, ius Romanum ipsum pro temporum diuersitate hac in re variare. Scilicet imperium illud patris, quod tempore antiquissimo fines fere omnes ignorauit, etiam intuitu huius consensus in nuptias liberorum sese exseruit. In patris enim arbitrio liberos ad nuptias ineundas cogendi positum, illiusque omnis nuptiarum potestas erat <sup>i)</sup>. Sed quum postea formae reipublicae, in totum mutatae, imperium eiusmodi domesticum hanc conueniret, id eoque ab Imperatoribus hinc inde, praesertim a Diocletiano et Maximiano restingeretur, vt iuri naturali conformius redderetur, ius patris intuitu nuptiarum liberorum eo redactum est, vt illi quidem ius

con-

<sup>i)</sup> P. DE LUDEWIG de *consensu coniubiali*. Diff. 1. l. 1. G. L. BOEHMER de *necessari, consensu parentum, in nuptiis liberorum*. C. 1. §. 9.

consentendi, vel ex iustis causis dissentendi, saluum maneret, sed co-  
gendi ius illud inhumanum ei adimeretur *k*). At intuitu filiarum ius  
antiquum correctum non est *l*), nisi, quod iis eo in casu dissentendi  
facultas concessa est, si indignum moribus, vel turpem sponsum pater  
iis eligeret *m*). Et quum consensus parentalis necessitas, in patria po-  
testate nitatur, quae auo quoque in nepotes, filio nondum emancipato  
competit, ipsius quoque consensum in nuptiis, a nepote requirendum  
esse, iure concluditur. Attamen inter nepotes neptesque discrimen oc-  
currit; scilicet ut nepotes, vtriusque aui, patrisque, neptes vero fo-  
lius aui consenu opus haberent *n*). Contra matris, patria potestate  
saltem ciuil ex iure Romano *o*) destitutae, consensus non requirebatur.  
Attamen et ipsi Romani pietati ac reverentiae, quam et matri exhiben-  
dam graibus poenis fancierant, contrarium censebant, ea inconsulta  
matrimonium inire *p*). Ex eodem fundamento nec vitrii nec nouercae  
consensus a liberis requirendus erat *q*).

Ne parentes vero auaritia, vel nouerca impellente, liberos a nuptiis arcerent, Lege Papia Augustus constituit, parentes, qui liberos iniuria i. e. sine iusta causa a matrimonio prohiberent, per praetorem urbanum ut in matrimonium eos collocent cogendos esse r). Pa-

k) l. 12. Cod. de nupt.

1) 1. 20. Cod. de nupt.

112. D. de sponsalibus.

<sup>23</sup>) I. 14 § 1. D. de ritu nuptiar. NOODT Comment. ad Inst. et Dig. Tit. de rit.

*anaplar* T. II, p. 376.

1. I. de idem §. 2. I. de Hexed. qual. et diff. l. 4. §. 2. D. de B. P. contra tab.

o) §. 10. I. de adopt. §. 3. 1.

p) BROUVERVS de iure Connubior. Lib. I. Cap. 8. §. 10. 11.

q) D. IEN CQVEL de Nupti

7) l. 19. de Ritu Nuptior.

tris consensus non subsequens sed praecedens requirebatur, dum iure Antejustinianeo ratihabitio paterna nuptias quidem validas, sed non nisi ex tempore ratihabitionis redderet. Hinc liberi ante illam nati legitimis non accensebantur. Iustinianus vero ratihabitionem consensu paterno praecedenti aequiparandam esse censuit. Ex quo et liberi antea nati inter legitimos referebantur <sup>s)</sup>. Pater vero, qui iure quidem antiquo etiam absque causa allegata dissentire poterat <sup>t)</sup>, legibus noioribus ad causam dissensus iustam exprimendam obligatus est.

*Consensum propinquorum curatorumue iure Romano necessarium non fuisse, fundamentum eius per se satis prodit.*

### §. XVII.

Quum vero maiores nostri de patria potestate aliter ac Romani sentirent, non potuit non fieri, eos quoque alia principia ratione necessitatis consensus parentum in nuptias liberorum stabiluisse. Scilicet illi utriusque parenti potestatem patriam tribuere aequum iudicarunt, id eoque consensum utriusque, a liberis matrimonium cogitantibus requiredum censuerunt. In eo tamen patri praerogativam concesserunt, ut eius iudicio, si a matre discederet, deferendum iuberent. Mortuo vero patre, matris solius consensu indigebant liberi, nisi iam ad secunda vota properauerat, quum in viduitate tantum persistens, potestatem in liberos continuaret <sup>v)</sup>. *Aui consensum tunc demum si patens uterque defunctus erat, expetere liberis germanicis iniunctum erat.*

In

<sup>s)</sup> G. L. BOEHMER in *Diff. cit.* §. 22. v. I.

<sup>t)</sup> l. 19. de *Rit. Nuptiar.*

<sup>v)</sup> G. L. BOEHMER in *Diff. cit.* C. 2. §. 38.

In poena vero consensus neglecti, Germaniae leges antiquae quam maxima inter se differunt; aliae parentibus potestate matrimonium dirimendi concedunt, aliae vero mulcta tantum inobedientes coercent x).

### §. XVIII.

Cum iure Romano sentit quoque ius Canonicum antiquius, et matrimonium, sine parentum consensu initum irritum declarat y). Ex eo vero tempore, quo matrimonium inter sacramenta relatum est, sensim principia mutata inueniuntur. Quod dubii adhuc superfuit, *Contilium Tridentinum Sess. XXIV. de reformatione matrimonii c. 1.* suslulit. Exinde ergo matrimonia sine consensu parentum inita, licet illicita habeantur, rata tamen indissolubilitate manent. Quum vero ratio decidendi ex qualitate sacramenti desumpta sit, in aprico est, sponsalia insciis parentibus inita, non obstante concilio Tridentino merito impugnari posse z).

### §. XIX.

Nec iuri patrio desunt leges, quibus necessitas consensus parentum aliarumque personarum repetitur, iuraque vario simul modo curatus determinantur. Comprehendit scilicet ius patrium omnes personas, quarum opus est consensu sub minus principalibus matrimonii, easque personis principalibus contradistinguit. Sed pro varietate temporis, ius patrium varia quoque constituit, quo factio paulatim immutatum ac curatus determinatum est. Rei magis illustrandae ergo eum

hic

x) G. L. BOEHMER I. cit. §. 45.

y) can. I. l. 30. qu. 5. c. 3. X. *Qui matrimon. accus. possunt.*

z) Vid. G. L. BOEHMERI *Princip. inv. Can.* §. 368.



hic ordinem, quem chronologia legum exhibit, sequi in anno est,  
quo simul perspicilicet, quomodo, et quonam tempore, determina-  
tiones singulae iis accesserint.

Primum huius rei vestigium prodit Codex legum patriarcharum,  
*Hamburger Stadbuch* dictus de anno 1292, vel 1497, (vid. §. III.) in  
peculiari articulo de matrimonio incundo et hereditate (von Vertrouw-  
inge unde Erffschichtinge) cuius verba haec sunt: *Allede wyle een  
Mann unde Frouwe beyde leven, de an Echteshop tho samende kamen  
syn, so syn se weldig, mede ehren Kindern tho doende tho goder Wyse,  
wat se willen, tho Mannen de Mägdede, und tho Wyzen de Knapen, un-  
de wann eher een sterret, so mag de ander affte, neen Freyndt de dartho  
horet, alleene ene Jungfrouwen, offte Wedewer, dar Guth up verstor-  
ven is, tho Manne geve edder eenen Knapen tho Wyze, de nich mündig  
is, ohne Fründe Rath an beyden syden, vom Vader unde Moder,  
de nögest syn, unde de men hebben mag, unde gode Lüde syn; So we  
hier baven deith, unde jemandt uhtgift, sünd der alse hier schreven  
steiht de schall dat beetern mede synen Lyve, idt si Wyff edder Mann;  
Unde so welck Jungfrouwe effte Wedewe Mann nehmen, edder so  
welck Knape Wyff nimpt, dor Guth up verstorven is, sünd der Fründe  
Raht, de schall an synen Gude nich nebben, men syn Guth dat schöllen  
habben de nügesten Freunde, beyde vom Vader unde Moder half de eene,  
und half de ander a). Concedit haec lex patri et matri adhuc viuen-  
tibus potestate liberam filios filiasque in matrimonium collocandi;  
mortuo vero alterutro coniuge, liberisque nondum maioribus, super-  
stites haud sine proximorum agnitorum cognatorumque consensu hoc  
peragere valet. Contrauenientibus vero parentibus, poenam corporis  
affili-*

a) *Thesaur. inv. provinc. et flatutor. P. 1. p. 674.*

afflictuam, liberis vero ipsis, sine consensu propinquorum matrimonium ineuntibus priuationem bonorum, quorum dimidia agnatis, dimidia vero cognatis cedit, minuatur.

Ex quo patet, quanta iamiam eo tempore potestas parentum in liberos matrimonii intuitu, ac ius propinquorum fuerit. Quantacunque vero fuerit potestas illa parentum, eam tamen eousque, quo ius Romanum antiquum extendit, ultra limites iustos extendere non audeo. Nullibi enim leges, vel mores Germanorum eiusmodi arbitrium parentibus concesserunt. Cur vero Patria tantum secus hac in re senserit, nullum adest argumentum.

Quaenam poena consensum parentum negligentes sequatur, lex haud curate determinauit, nisi quae de propinquis in genere sancta, sunt, scilicet liberos bonis priuandos esse, ad parentes extendere velis; quod meo quidem arbitrio sine iniuria fieri potest.

## §. XX.

Paullo curatius rem determinauit lex quam nostri *Bauer- oder Burg-Sprache* vocant, ao. 1596. b) condita. Haec enim capite XXII. sponsalia vel matrimonium iuenum, puellarum viduarumue insciis ac dissentientibus parentibus, aliisque proximioribus claim celebratum non illicitum solum, sed et nullum declarat: und soll solche heimliche Verbindung für keine Ehe geachtet und geflatet werden. Ratio huius legis superioris, et parentum taedium et molestia, et ipsorum liberorum salus fuisse videtur. Poenam lex minatur in legibus ciuitatis statutam.

Quae-

b) Extat apud L V N I G I V M in Archiv. imperii Cont. IV. p. 1059.

E

Quacnam vero illa sit vel fuerit, non satis constat. Praeter hanc vero matrimonium ipsum ceu nullum non toleratur, sed ipso iure statim dissoluitur. Dubitat quidem Vir *Cel. de BOSTEL c)* an statutum eiusmodi, iuri Canonico in terris Protestantium recepto contrarium, in praxi fuerit deductum, sed vsum ei cur denegemus, nisi aliud leges noiores suadeant, ratio occurrit nulla.

### §. XXI.

Plura matrimonii intuitu, Statuta ao 1603. promulgata *d)* disponuerunt. Inter alia etiam id repetierunt, liberos in nuptiis celebrandis parentum consensu opus habere, quod verba articuli II. satis indicant *e)*. Hoc in articulo ad ius diuinum, Mosaicum scilicet prouocatur, quod vero tempori ignoscendum, quo, ius Mosaicum hac in materia ad forra nostra non nisi minus recte applicari, non conslabat *f)*. Aliud quoque fundamentum consensus parentum in obedientia illis debita quaerit. Inobedientem enim filium, filiamue viginti quinque annis minorem, si matrimonium cum persona non famosa, *eine unberüchtigte Person g)* inierit, ad legitimam vsque exheredare dotemque denegare patri fas est. Non vero consensu patris expresso vel antecedente opus est. Sufficit enim et tacitus, licet postea declaratus, v. gr.

*e)* in Diff. de vñ bōderno patrīce potestatis Romanae in foris Germaniae.

*d)* Part. 2. T. II.

*e)* Weil, vermöge göttlicher, natürlicher und weltlicher Rechte, der Eltern Beliebung und Vollbort zu der Kinder Ehe nötig; so sind auch die Kinder der Eltern Consens aus schuldigem Geborßan zu erfordern, pflichtig und verbunden.

*f)* Vid. L D. MICHAELIS Mosisches Recht. Th. 2. §. 83. p. 106.

*g)* Quacnam famosa sit persona exhibet die Sammlung Hamb. Gesetze und Verfaß. Th. IV. p. 129.

si testamento inobedientiae non meminerit *h*). Nec sponsalia eiusmodi clandestina, aliis postea subsecutis publicis, attenduntur *i*). Quum vero lex de filiis filiabusue XXV. annis minoribus disponat, haud sine ratione videtur maioribus XXV. annis necessitatem consensus parentum propinquorumque tacite remisisse. Attamen aliud testatur praxis iudicaria, scilicet filio licet XXV. annis maiori consensu parentum opus esse, si separatam nondum instituerit oeconomiam *k*). Quae praxis cum Mandato poenali de anno 1676, inter maiores minoresue non distinguente, consentit, de quo mox plura adhuc proferre non omittam.

## §. XXII.

Mandatum poenale de 16. Jun. 1676. *l*) rem aliquatenus curatius determinauit. In praefatione eius legis *Bauersprache* dictae mentio occurrit, et simul occasio huius constitutionis, iterati nempe raptus et matrimoniorum clandestinorum frequentia refertur. Iuuenibus sponsa-

E 2

lia

*h*) Stat. Hamb. P. 2. Tit. II. art. 3. Da nun der Sohn und Tochter unter 25. Jahren, obne der Eltern Bevollortung, eigenes Willens, sich an eine unberücktigte Person befreyen würden; auf dem Fall soll dem Vater freystehen, den Brant/ckaz ihnen zu weigern, auch im Testament über die legitimam nichts zu verordnen; Da aber der Vater in dem Testamente dieses Ungehorsams nicht würde gedenken, sondern stillschweigend vorbey geben, auf den Fall wird solcher Sohn oder Tochter, seinen andern Schwestern und Brüdern gleich, zu den nachgelassenen Gütern admittiret und zugelassen.

*i*) Stat. Hamb. Part. 8. Tit. II. art. 4. Wenn jemand ohne der Eltern Vorwissen und Willen, mit einer Person heimlich sich würde verloben, und die Eltern, so bald sie es erfahren, solcher Ehe wiedersprechen; und derselbe Sohn oder Tochter folgends, mit den Eltern Wissen und Willen, mit einer andern Person Verlöbniß halten; so wird in diesem Falle die letzte Verlöbniß der ersten, darinn die Eltern nicht gewilliger, billig vorgezogen.

*k*) Conf. Samml. Hamb. Gesetze und Verfass. Th. IV. p. 46.

*l*) Extat in collect. mandator. P. I. p. 330.

lia vel matrimonia clandestina inire interdicit, ac transgressionibus lenonibus, si parentes, curatores vel propinquai iudicio id denuncient, poenam corporis afflictiam minatur. Attamen multo notabilius nobis hoc loco Edictum poenale die 18. mensis Septembris 1676. promulgatum gegen die Verkuppelung und Entfuhrung der Weiber Jungfrauen und Ummürdige, &c. est m). Confirmat legem Bauersprache vocatam, et sponsalia aequa ac matrimonia, sine praescitu vel consensu parentum, curatorum, vel propinquorum cognatorum ab utroque parente sufficienter declarato inita, annihilat et plane inualida reddit, atque ad instantiam cassari ac nullari iubet. Praeterea ex ea lege transgressoribus liberis denegatio dotis et exheredatio, tam ratione bonorum hereditariorum quam adquisitorum imminent. Hac enim lege omnia quae priores vix attigerant, magis determinata sunt. Ex intentione Senatus et ciuium expresse declarata, non solum ciues et incolas obligat, sed et peregrinos, neque iniuria, quum horum ab arbitrio pendeat, utrum negotio eiusmodi se immiscere an potius abstinere velint n). Nec defunt casus, ubi hocce ius aduersus peregrinum applicatum est o). Quod vero ad incolas attinet, eos sine discrimine religionis hac lege ceu poenali teneri, mihi iure statui videtur, quum ad eos a legis vi et autoritate excipiendo nulla adsit ratio. Quod autem probe attendendum est, edictum poenale de filia tantum, consensum parentum reliquorumue personarum negligente, haud vero de filio inobediente dispositum. Ob rationem tamen edicti salubrem et generalem, ne scilicet parentes liberorum infortunium experiantur, aut post mortem famiae ruinam timere necesse habeant, Vir Magnif. R V M P F I V S, Pa-  
triac

m) Extat in fin. Edition, nouiss. Statutor. d. 1603.

n) Schaffhausen de iur. sing. foem. Hamburgi. C. 1. §. 15.

o) Conf. Samml. Hamb. Gesetz, und Verfass. Th. IV. p. 37.

triae Consul meritissimus p), illud ad masculos consensum parentum negligentes extendere non dubitat, simul quoque ad obiectiones de fragilitate sexus sequioris ac perpetua feminarum tutela ceu rationis huius legis respondet, filiumfamilias iure antiquo XXV. annis minorem ob neglectum parentum consensum ad legitimam vsque exheredari potuisse: et in adiectione et augmento Iuris noui haec necessario supplenda esse.

### §. XXIII.

Quum vero Edictum poenale nostrum solum de muliere, filia scilicet clandestina sponsalia vel nuptias ineunte, raptuque disponat, de filio vero eiusdem facinoris reo plane fileat, non potest non hoc loco disquiri: *vtrum ratio saltem huius legis, extensionem ad filium clam despontatum vel matrimonio iunctum admittat, an potius ad filias edictum restringendum sit?* Ut priori sententiae ego calculum adiiciam, summorum virorum auctoritas suadet, nec tamen ut non in contrarium sentiam a me impetrare possum. Ideo nempe potissimum mihi videatur hoc edictum ad mulieres restringendum esse, quoniam I) est lex poenalis adeoque strictae interpretationis q). Huc accedit II) occasio legis cuius mentio sit in praefatione Edicti, nempe frequentia delictorum tum temporis administrorum, sponsalium scilicet clandestinorum, raptus mulierum, virginum et personarum sui iuris. Huic ergo *lex* obuiam ire, idque pro futuro quantum fieri potest impedire intendit. Poena III) grauior in clandestina filiarum, quas lex semper, filios nunquam expressit, sponsalia, statuta esse videtur, quum mulierum conditio hac

E 3

in

p) in Dist. de criminis raptis Cap. V. §. 14. Conferatur hic quoque SCHAFFSHAVSEN de inve singulari foeminar. Hamburgi. C. I. §. 15. 16. 17. 18.

q) l. 42. de poenis. l. 155. §. 2. de R. LAVG. A LEYSER in Med. ad Pand. Suppl. 1. Obs. 6. p. 170.

in re maius periculum quam conditio marium subeat, quibus scilicet facilior est accessus ad thorum. Non enim sibi ipsi, sed et parentibus familiaeque filia huiusmodi inobediens labem adspergit. Accedit IV) sententia Facultatis Lipsiensis in causa E. S. contra A. A. S. quae mecum idem in responso sentire non dubitauit, vti ex ratione decidendi patet hic subiuncta r). Contrariae sententiae quidem fauent rationes a salute reipublicae desumptae, ad mares aequae ac foeminas extendendae. Scilicet parentes in filiis ac filiabus infortunium experiri posse vel post mortem ruinam timere necesse habere; filiosque aequae ac filias parentibus reverentiam ac honorem debere. Nec sexus fragilitatem remutare putant contra sentientes. At illis respondendum esse censeo, negari quidem non posse, salutem publicam quoque in filiorum nuptiis versari, attamen id ipsi nihilominus concedant oportet, maiorem curram circa salutem filiarum reipublicae adhibendam esse. Nec desunt aliae Patriae leges, quae filiis clam sponsalia contrahentibus poenas, vti ex iamiam allatis satis superque patet, minantur. Has vero poenas filii ob neglectam reverentiam parentibus exhibendam luunt. Sed discrimen merito leges patriae inter filios ac filias admittunt, quum horum inobedientia maiora producere mala soleat.

## Aliud

r) Extat in THOMASII Dissert. de validitate coniugii innitis parentibus contradicti. Verba eius haec sunt: Und dann letzlich das obangezogene Hamburgische Edict nicht von dem Fall, wenn ein Sohn oder Mannsperson unwillig seiner Eltern und Freunde sich mit einer Weibsperson in ein Gelobniß einläßt und solches durch Priesterliche Copulation und eblicher Bewohnung vollzieht, sondern nur von diesen wenn eine Weibsperson, ohne oder wieder der Ibrigen Willen von einem entführt oder verkuppelt worden redet, und über solche Statuta und Edicta poenalia strictissimae interpretationis und nicht leicht von einem Fall auf den andern zu ziehen seyn, so ist u. s. w.

Aliud dubium inde oriri posset, utrum scilicet ad Edicti huius applicationem sponsalia clandestina seu matrimonium clam initum et raptus coniunctum desideretur, an vero alterutrum tantum sufficiat. Et nil est quod obstareret quominus cum Perill. ac Magnifico R V M P F I O s) et S C A F F S H V S E N I O t) sentiam, qui posterius ex eo rectissime decidunt, quod legislator vocula alternativa oder usus sit, et poenas diversas in sponsalia matrimoniale clandestina, et raptum statuerit.

Quoad dispositionem huius legis adhuc monendum est, illam sponsalia et matrimonia ipsa clandestina, quae adiuante clero celebrata sunt, nulla ac irrita declarare, nec filias contrauenientes ad dotem, nec ad bona siue hereditaria siue adquisita illis delata admittere, sed potius omnia ea coheredibus adjudicare.

#### §. XXIV.

Ex quibus omnibus haec tenus deductis satis constat, quam invisa legibus nostris sint, sponsalia ac matrimonia clandestina, sine parentum, propinquorum vel curatorum consensu inita. Liceat mihi nunc omnia haec tenus tractata brevissime in mentem reuocare, vt uno quasi intuitu omnia inspicere possimus.

- I. Filiis qui consensum parentum ad sponsalia vel matrimonium require neglexerunt, lex u) exheredationem ad legitimam usque minatur, insuperque eorum matrimonium pro illegitimo declarat. Hoc scilicet per legem *Burchsprache* sic dictam factum est.

#### II.

s) Diff. cit. Cap. V. §. 4.

t) Diff. cit. C. 1. §. 16.

u) Statut. Hamburgens. Parte 2. Tit. II. art. 3.

II. Filiabus vero ex Edicto poenali dotem et bona quaecunque hereditaria ac adquisita denegare, illasque penitus exheredare parentibus licet, Sponsalia quoque vel matrimonium, iuramento licet firmatum, nullum inualidumque, ad instantiam eorum quorum interest, declaratur.

III. Sed praeter consensum parentum consensus quoque proximorum requiritur. Hoc enim Statuta iamiam illa antiquiora de ao. 1497. (verbis §. XIX. citatis) innunt, ex quibus patet consensum eorum neglectum et intuitu superstis et intuitu despontatorum variis affici poenis. In legi *Burchsprache* saepius allegata, matrimonium vel sponsalia potentibus, requisitio consensus propinquorum iniungitur, poena vero praeter inualiditatem matrimonii nulla ibi occurrit expressa, sed generaliter tantum iuris statutarii; *bey Poen und Straffe in diesen Stadt-Rechte statuirt und verordnet mentio facta est.*

In Statutis vero patriis, quibus hodie vtimur, *propinquui* occasione consensus ad contrahenda sponsalia necessarii, parentibus tantum expressis, silentio praetermittuntur. Sed quominus hoc silentium derogationis instar habeamus, impediunt leges posterioris aevi. Mandatum scilicet de 16. Jun. 1676. supra allegatum, etiam propinquis facultatem sponsalia vel matrimonia clam inita impugnandi, et adiutores despontatorum accusandi tribuit. Sed multo curatius Edictum poenale eodem adhuc anno editum rem determinauit, his quidem verbis: *ein folgend Vater oder Mutter, auch Vormünder und Verwandte, einem solchen unartigen Kinde und Pfleg-Tochter, keinen Brautschatz zu geben schuldig, sondern gänzlich, es sey an Erb- oder erworbenen Gute oh-*

ne

ne Unterschied zu enterben bemächtiget, *Vormünderen und Verwandten* aber Rechnung einem oder beyden zu geben, oder *reliqua ausfolgen zu lassen* verboten, oder den andern Miterben, oder sonst die nächste Anwartschaft haben, dazu verbunden bleiben, und zu nochmähiliger Zahlung gehalten seyn sollen. Exinde nimirum colligi potest, ius *propinquorum* intuitu consensus ad sponsalia matrimonia filiarum, poenis variis minitum esse.

IV. Quod vero curatores attinet, mirum videri posset, eorum in legibus antiquioribus mentionem prorsus nullam factam fuisse. Sed res statim expedita est, si ad principia Patriae attendere velis. Propinqui enim in tutela suscipienda omnibus aliis praefreruntur x), neque nisi ob causam urgentissimam ab hoc munere arceri possunt. Hinc ab omni tempore, plerumque saltem euenit, ut simul tutores curatoresue fuerint y). Primum curatores exprefſit Mandatum de 16. Jul. 1676. verbis: *Nachdem zeithero sich begaben, dass verschiedene sowohl junge Kinder als Jungfrauen, die annoch Eltern und Vormünder haben sich heimlich verlobet. Id ipsum quoque curatoribus ius, sponsalia clandestina ac lenones iudicio denunciandi concessit. In Ediclo vero poenali, ad quod hactenus toties prouocare oportuit, curatores quoque, et quidem semper ante propinquos denominati occurrunt, neglectumque eorum consensum lex vario modo vindicauit. Nimirum curatores minoribus suis clam despontatis, vel matrimonio furtim iunctis rationes reddere, et quae ex curae administratione supersunt,*  
resti-

x) Stat. Hamburgiſ. Part. 3. Tit. 6. art. 4.

y) Samml. Hamb. Geſetz. und Verfaſſ. Tit. IV. p. 52.

restituere non tenentur, vt ex legis verbis supra allegatis satis su-  
perque patet.

### § XXV.

Nunc in requisitis sponsalium recensendis continuabo. Ad illa quoque id spectat, ne sponsus vinculo iamiam sponsalitio ligatus sit. Qua occasione de *concurſu sponsalium* quaedam afferre iuuabit. In eo quidem ius patrium cum iure communi consentit, sponsalia publica, licet posteriora, clandestinis prioribus praferenda esse  $\approx$ ). Ita enim de hoc casu Art. IV. Tit. XI. Part. II. Statutorum sancit: *Wenn jemand, ohne der Eltern Vorwissen und Willen, mit einer Person heimlich sich würde verloben, und die Eltern, so bald sie es erfahren, solcher Ehe widersprechen; und derselbe Sohn oder Tochter folgends, mit der Eltern Wissen und Willen, mit einer andern Person Verlöbnis halten; so wird in diesem Falle die letzte Verlöbniss der ersten, darin die Eltern nicht gewilligt, billig vorgezogen.* Quod de iure patris eo certius est, quum leges antiquiores sponsalia clandestina plane iniquala pronuncianterint. Nec in eo quoque leges Hamburgenses a iure communi recesserunt, dum sponsalia publica priora posterioribus praferri iusserunt a)). Ita enim articulus priorem sequens disponit: *Würde einer zweien Jungfrauen, oder Wittwen die Ehe versprechen, und ordentlicher Weise zugesagen; auf den Fall ist die erste Zusage bündig, und die letzte von keinen Würden.* At plane singularis est restrictio huic articulo adiecta: *Es wäre denn, dass er die andere hätte fleischlich erkannt; so wird dieselbe Verlöbniss in diesem Falle der ersten, woferne die Person von der ersten*

*sten*

$\approx$ ) Cf. CARPZOV in iurisprudentia eccl. lib. def. 67. G. L. BOEHMER in Princip. iur. can. §. 377.

a)) c. vii. de sponsal. in 6. c. 22. X. cod.

ſen Verlobniß keine Wiffenſchaft gehabt, vorgezogen: ex quibus patet, sponsalia posteriora clandestina, quibus concubitus accesserit, eo caſu quo vitiata ſponsa priorum ignara fuit ſponsaliorum, prioribus publicis praferri. Iure enim communi clandestina ſponsalia accedente concubitu illico nil roboris accipere putat s. STRYK b). At hanc ipſam diſpoſitionem ceu iuri Canonico conformem, ex quo ſeſilicet ſponsalia de futuro concubitu firmata ſponsalia de praefenti efficiuntur c) vindicare operam dedit Cel. I. H. BOEHMER d). Sed pace Viri celeberimi hoc iuriſ Canonicī effatum ad caſum ſponsalium validorum reſtringere liceat e). Rationes legi patriae ſequentes adſert SCHAFFES-HAVSEN f). I. Posterioris ſponsae bonam fidem quam lex expreſſe ſupponit, ipſi nocere non poſſe, II. daſnum, quod concubitu paſſa eſt, non niſi matrimonio reſarciri poſſe, III. imbecillitatem ſexus eiusque fragilitatem etiam hic fauorem mereri et IV. fauorem liberorum non ultimo conſiderandum eſſe. Verum hac legi diſpoſitione ſponsus eo modo delinqens ab omni poena immuniſ haud redditur, ſed grauiter illum coerceri leges iubent, quod verba finalia art. V. ſati indicant: jedoch wird dem Gerichte die ernſtliche Straffe, wegen des groben Excefſes, gegen den Verbrecher billig vorbehalten.

## §. XXVI.

Sponsalium, quibus impedimentum nullum obſtat, conſummatiōnem partibus iniungi, in eo ius commune g) et patrium conſentunt.

F 2

tintunt.

b) in Tractat. de diſſenſu ſponsalitio Sect. 4. c. 3. §. 3. et in primis §. 6. ſqq.

c) c. 31. X. de ſponsalibus.

d) in Iur. Poteſt. ecclieſtaſt. Lib. IV. Sect. 1. §. 67. et T. III. p. 1129.

e) G. L. BOEHMER Princip. iur. Can. §. 378. not. b.

f) In Diſſ. de inv. ſing. foſminar. Hamburgens. C. 1. §. 20.

g) c. un. de ſponsalib. in 6.

tiunt. Refractarium tamen nec praxis Patria ad matrimonium consummandum absolute cogere videtur, sed poena relegationis vel alia contumaciae conformi afficere non dubitat *h*). Innocenti vero parti hoc casu facultas cum alia persona matrimonium contrahendi seruat; quod de Iudeis aequae ac Christianis Hamburgi incolis obtinere, aliud satis probat praeciducium *i*).

### §. XXVII.

Dari tamen rationes sufficietes, quae a consummandis sponsalibus liberent, ac repudio locum dent, nemo negabit. Praeter alias enim *repudii* causas ex iure communi iam cognitas, occurrit et singularis quaedam in iure patro, error nimirum sponsi circa opes sponsae, de quo casu supra iam egi. Ut vero sponsus hanc ob rationem a sponsalibus recedere possit, hodie ex Ordinatione politiae cap. de sponsalibus *k*) dos ante sponsalia determinata sposo promissa, dein sponsaliorum

*b*) *Praeciducium in causa fiscalis in criminalibus contra I. KÖRREN de 23. Jun. 1624*: exhibet Thesaurus iuris provincial. et statutary. German. T. 1. Sect. 1. p. 1010, verbaque sententiae haec sunt: und soll, der Finding zu Folge der Beklagte innerhalb 6. Wochen die gedachte Alheit Sievers tronen, und mit derselben in den Ehestand treten. Im Fall aber er sich dessen verweigern, und mit der Copulation nicht verfahren würde, soll der Beklagter in dieser Stadt und dero Gebiet nicht geduldet werden. Und soll die bemeldete Alheit Sievers alsdann, wo ihr beliebet, zur andern Ehe zu treten Macht haben. V. R. W.

*i*) Exhibit illud allegat. Thesaur. Part. I. p. 1067.

*k*) Vid. *Recessus de 1618. Samml. Hamb. Gesch. und Verfaß. Tb. IV. p. 71.* cuius verba haec sunt: Wenn aber einer mit einer Jungfrau oder Wittwe sich eblich eingelassen, und denselben ein genannter Brautschatz zugesaget, und darauf die Ehe-Verlöbniß versprochen, der Brautschatz aber nicht folgen mag; so kann in die-

rum quoque celebratio requiritur *l*). Sponsum vero, errore demum post proclamationem cognito, adhuc recedere posse, ob rubra Reces-  
sus allegata, quibus matrimonium tantum hoc errore impediri dicitur,  
statuendum esse censeo, quamvis interpres quidam iuris statutarii secus  
sentire rectius putat *m*). Ventilatio de dictis sponsae, aut quantitate  
dotis, (*dass sie soviel zum Brautschatz bekommen könne oder werde*)  
tunc demum, si ab eo facta est, qui ad dotandum iure perfecto obli-  
gatur sufficere dicitur *n*). Sine iusta causa vero repudium desideranti  
sponso vel sponsae, his statutarium antiquum resarcitionem damni, ha-  
bita ratione bonorum de quibus inter coniuges ut conferrent conuen-  
tum est, iniungit *o*). Repudium tamen eodem iure iustum censetur,  
si alterutra desponsatorum pars a terra persona sponsalium iamiam ini-  
toruum iure petitur, quo casu alteri parti a sponsalibus recedere licet,  
nocens vero ad poenam quandam pecuniariam obligatus est *p*).  
Vtrum vero hodie eadem poena sponsum ea prioribus sponsalibus pe-  
titum teneat, de eo mihi quidem non satis constat. Si tamen iure ta-  
cito abrogatum esse defendi nequeat, ob defectum legis expressae, ro-  
borem huius Codicis statutarii imminentis, pro valore eius magis de-  
cidendum fore puto. Nec RICHEYVS nosler de historia legum pa-  
triarum meritissimus huiusmodi abrogationis vel vilo verbo meininit.

### §. XXVIII.

*diesem Falle, nach gehaltener Hochzeit die Trennung keine Statt haben, sondern er muß dieselbe die er bat genommen, behalten, aber vor dem ehelichen Beylager und Copulation kann die Verlobung getrennet werden.*

*l)* SCHAFFSHAVSEN de Iur. sing. foem. Hamb. c. 1. §. 24.

*m)* Conf. Thesaur. jur. Statutar. Parte I. Scđt. II. p. 732.

*n)* Conf. Commentator allegat. in Thesauro iuris statutar. P. I. T. II. p. 870. et §. 3.

*Thef. 1. p. 675.*

*o)* Vid. Thesaur. cit. P. I. Scđt. I. p. 675. in fin.

*p)* Thesaur. cit. P. I. Scđt. I. p. 676. §. 4.

## §. XXVIII.

Ad matrimonii *solennia* nunc proprius accessurus I) *de proclamatione*, II) *de solennitate ecclesiastica seu copula sacerdotali*, et III) *de solennitate germanica confensione tholami*, quantum ius patrium procurabit, agere constitui. Nec apud nos proclamationem sine poena, ab Aedilibus (*Weddeherren*) vindicanda omitti posse, iterata vice leges iniungunt q). Ut vero proclamatio rite procedere possit, consensu Senatus vel magistratus ab eo delegati, Aedilium scilicet, qui petentiibus matrimonio iungendis schedulam ad proclamationem benedictionemque celebrandam concedant, opus est. Nec tamen proclamatio eius est necessitatis, vt intuita illius plane dispensatio impetrari nequeat. Sed potestas dispensandi Aedilibus quoque, sed non nisi causa aliquatenus cognita, et casu quo dubium ratione consanguinitatis oritur, praestita satisdatione, concessa est r).

Quoties proclamatio facienda sit, ius Canonicum quod congruum tantum terminum requirit, indecimum reliquit. Plerumque vero ius illius ex natura citationis edictalis diiudicatur, hincque ter faciendam esse in foro statuitur s). At hac in re quoque patria praxis dissentit, et proclamatio vnica tantum vice, octo dies ante benedictionem sacerdotalem adhibita, sufficit t). Oppidanis vero Bergedorfienibus ex ordinatione eorum ecclesiastica proclamatione bis repetita opus est u). Quod vero parochium, cui ius proclamandi competit, attinet,

pastor

q) Conf. *Mandatum de 1645. d. 14. Ian. in collectione Mandator.* T. 4. p. 57.

r) Samml. Hamb. *Gesetze und Verfassung.* Th. IV. p. 75. sq.

s) Conf. G. E. BOEHMERI *Principia Iur. Can.* §. 355.

t) Samml. Hamb. *Gesetze und Verfass.* Th. VIII. p. 815.

u) *Bergedorfische Kirchenordnung extat in der Samml. H. G. n. V. Th. X.* p. 780.

pastor tantum primarius parochiae ad quam sponsa pertinet, proclamationem ecclesiae suae publicat. Nec absque singulari dispensatione, quae vix aliis quam peregrinis, hisque non nisi ratione impedimento-ram forsitan oriundorum cauentibus, proclamatio remittitur. Qua ta- men impetrata pastori nihilominus iura stolae praestare partes tenen- tur *x*).

### §. XXIX.

Benedictio quoque sacerdotalis desponsatis in parochia sponsae, haud vero praeceps a pastore primario, sed et a Diaconorum quodam impertiri potest. Ministri vero aliae parochiae, non nisi concedente parocho competente, cui tamen iura stolae coniungendi soluere debent, hunc actum celebrare valent *y*). Multo magis ergo clericis extraneis benedictio sacerdotalis interdicta est, nec illis ipsis solum, sed iunctis quoque ac adiutoribns leges vice repetita poenam minantur, et si gra- dus prohibiti, vel defectus consensus parentum, curatorum vel agnato- rum id desiderant, matrimonium ipsum tollit *z*). Prostant in hunc finem plures leges, Edictum poenale, aliaeque. Quac vero circa epu- las nuptiales obseruanda sint, referre supersedeo, eaque ad alias dimit- tere liceat *a*).

### §. XXX.

Quae vero adhuc recenseri debet solennitas est *consensio Thala- mi*, modus maioribus nostris matrimonium ineundi solennis. Nec  
hodie

*x) Conf. Samml. Hamb. Gesetze u. Verfaß. Tb. VIII p. 815.*

*y) Collect. cit. Tb. VI. p. 76, et Tb. VIII. p. 815.*

*z) Collect. cit. Tb. IV. p. 77, et Tb. VIII. p. 816.*

*a) Coll. cit. T. IV. p. 78.*

hodie desunt regiones, quae ad matrimonii consummationis naturalia, haud vero essentialia eam considerant b), ex eaque plura iura e. gr. communionem bonorum, liberationem a patria potestate, tutelam mariti, dignitatem mariti vxori communicatam, alimenta in casu viduitatis a socero praeslanda, portionem statutariam deriuant c),

Conscensionem hancce ius Hamburgense expresse quidem non desiderauit, vestigia tamen illius hinc inde occurrentia certiores nos reddere possunt, eam quoque in connubiis Hamburgensium effectu suo non esse destitutam. Sic enim Part. II. Tit. XI. art. VII. disponit: *aber vor der ehelichen Copulation und Beylager kann die Verlobniß getrennt werden*, sub voce enim *Beylager* concessionem thalami intelligi, vix ac ne vix quidem dubitari potest d). Sed sufficere symbolicam concessionem, nec commixtione carnali actuali opus esse verior est sententia e) nisi aliud leges expresse voluerint f).

### §. XXXI.

Matrimonii rite legitimeque consummati *varii sunt effectus*, et iuris communis et iuris statutarii, iura vel utriusque coniugi communia, vel alterutri tantum peculiaria. Quae iuris communis sunt hic ideo non

b) e. gr. *Ius Lubecense Lib. I. Tit. V. Art. 14. Ius Pron. Solm. Part. II. T. XXVIII. Reformat. Francof. P. III. Tit. III. conf. R. N. SCHLÜTER de variis matrimonii perfectionibus L. 2. §. 8. et Gen. de SELCHOW in Elem. iur. German. §. 436.*

c) SCHLÜTER in diff. cit. c. 2. §. 10 - 14.

d) Samml. Hamb. Gesetze und Verfaß. Th. IV. p. 78. SCHLÜTER in Diff. cit. c. 1. §. 30.

e) Diff. cit. C. I. §. 39.

f) vii Reformat. Francofurt. P. III. T. III. §. 5.

non curabo, ne forte actum sine ratione peragam. Sufficit hic monuisse, utrumque coniugem sibi iniicem fidem coniugalem officiaque inde dependentia debere, nec ea impune violare posse g). Apud Germanos matrimonio plerumque is quoque est effectus, ut communio bonorum illud sequatur. Hanc quoque ius patrium, non peculiari tamen titulo et quidem vniuersalem inter coniuges variis locis supposuit h). Plura vero de communione bonorum inter coniuges Hamburgenses ideo proferre supersedeo, quia B. KROHNIVS i) libello peculiariter solidissime eam pertractauit. Alius effectus est ius matratile, de quo etiam lectorem ad Tractatum saepius allegatum *de iure singulari foeminarum Hamburgensium* remittens, plura addere nolo.

Ius statutarium antiquum marito potestate vxorem immorigeram modice castigandi indulxit. In Tit. XIV. enim art. IX. k) fanticur: *Tüchtiget een Mann syn Wyff, edder schleicht he se, unde se dat verschuldet hefft, dat mag he woll doen, Mer schleit he se dodt, dat schall he bettern mede synem Lyue*, et in Tit. IX. art. 5. l) ius incarcerandi vxorem immorigeram marito conceditur. At simul quoque prospectum est, ne potestate hac sibi concessa abutatur. Nimurum lex allegata marito vxorem iniuria castiganti, bonorum priuationem minatur. Nec statuto nouiori id abrogatum, sed potius art. XLVIII. Part. IV. verbis: *Sonß wird mäßige Züchtigung dem Ehemanne über seine Hausfrauen billig erlaubt und zugelassen*, corroboratum esse videtur. Sed aeuum nostrum

mo.

g) Conf. G. L. BOEHMER in princip. iur. Can. §. 401.

b) hoc spectat art. 1. 4. 6. 8. Tit. III. P. III.

i) in Diss. de bonorum coniuges inter Hamburgenses communione.

k) Conf. Thesaurus iuris stat. T. 1. p. 702.

l) Thesaur. cit. p. 676.

moratus eiusmodi castigationes vix inter homines conditionis infimae admittit, ac potius in excedentes poena vel separatione a thoro et mensa animaduertit <sup>m)</sup>.

### §. XXXII.

Quomodo matrimonium resoluatur nunc tandem attendamus. Praeter mortem enim, non nisi diuortio coniugib<sup>s</sup> vinculum matrimoniale remitti, satis constat. Circa vocem diuortii vero, *Ehescheidung* idiomate nostro dicti, statim praeimonendum esse puto, significatum mox latiorem, mox strictiorem seu proprium illi in legibus etiam patriis esse. In sensu latiori scilicet sub diuortio quamcunque matrimonii dissolutionem et ius Canonicum <sup>n)</sup> et Hamburgense intelligunt. Quod posterius speciatim attinet, illud, diuortii nomine annulationem quoque comprehendere, varia loca indicant. Huc refero Part. II. T. XI. art. 6. cuius verba sunt: *Wenn eine Jungfrau, vor der Ehe, darin sie mit ihrem Ehemanne getreten, von einem andern geschwängert ist, davon der neue Ehemann keine Wissenschaft gehabt, sondern, so bald er solches, nach gehalterner Hochzeit, beständig erfahren, sich ihrer ehelichen Gemeinschaft enthalten hat, und auf die Entscheidung beharrlich dringet, auch aus gefasstem Eiser sich zu der Ausföhnung nicht will bewegen lassen; so kann ihm auch solche Ehescheidung nicht verweigert werden.* In hac lege scilicet marito, in errore versanti, ius a nuptiis perfidis resilendi conceditur. Error autem, qui subest, consensum mariti, eo ipso quoque matrimonii perfectionem impediat. Nullum adfuit igitur verum matrimonium, ergo quoque diuortio in specie sic dicto opus non est. In sensu autem strictiori seu proprio, di-

*wortium*

<sup>m)</sup> Conf. Samml. Hamb. Gesetze und Verfass. T. IV. p. 119.

<sup>n)</sup> c. s. X. de Donat, int. vir. et uxor.

*uortium dissolutionem matrimonii rite initi totalem, viuis coniugibus, auctoritate publica factam, denotat o).* Diuortium hoc modo determinatum, ab annullatione matrimonii non rite initi, et a separatione a thoro et mensa, facili negotio discerni potest. In sensu hocce proprio diuortii voce (*Ehescheidung*) ius patrium vtitur e. gr. in Part. II. T. XI. art. VIII. vbi sancitur: *Trennung oder Scheidung der Ehe wird nicht zugelassen; es sey denn, dass der eine an dem andern ehebrüchig worden; oder dass der eine unter ihnen zum Eheslände untüchtig befunden; oder dass der eine an dem andern treulos würde, und denselben verlassen hätte.* Attamen in eodem articulo statim post casum adulterii, vox diuortium iterum impropius seu significatus latiori tantum accipienda est, quae causam dedit de annullatione matrimonii quasdam proferendi, quantum scilicet ius patrium casus in quibus illa locum habet refert. In rebus plurimis enim iuri communi tacite assensus videtur. Casus primus, qui in legibus patris exhibetur, est, si vxorem ab alio impregnata fuisse, maritus post nuptias demum celebratas cognouit. Hoc casu huic potestas facta est, ad diuortium in sensu latiori seu annullationem prouocandi, quod verba articuli VI. iamiam citati satis superne indicant. Ex eo tamen apparet, marito, qui hoc iure vti intendit, post defectum virginitatis cognitum, a concubitu ulteriori abstinentia esse, alias vero iuri suo tacite renunciasse censi. Nec quoque statim ad annullationem proceditur, sed compositio prius, ac reconciliatio mariti tentatur. Fauorem enim matrimonii et hoc loco subesse nemo negabit. Eo acceptior vero haec legum patriarcharum dispositio nobis esse debet, quum de iure communi vel de fori vsl saltem, res inter Doctores nondum composita sit p). At concubitum

VXO-

o) G. L. BOEHMER in *Princip. iur. Can.* §. 404.

p) Matrimonium ob defectum virginitatis annulari negat WESENBECIVS ad D. Tit.

vxoris antecedentem solum tertio ad matrimonium annullandum non sufficere, sed impreagnationem subsequutam requiri, verba legis satis declarant. In articulo enim VI. alleg. expresse sancitur: *Wenn eine Jungfrau vor der Ehe -- von einem andern geschwängert ist. Nec fauor matrimonii nec poenale, quod huic legi inesse videtur, interpretationem extensiuam ad casum nimirum mariti stupratoris admittit.*

Casus alter in legibus nostris obueniens est impotentia alterutrius coniugis, cuius quoque meminit Part. II. Tit. XI. art. VIII. verbis: *dass der eine unter ihnen zum Ehestande untüchtig befunden worden.* Rem omnibus numeris absolutam satisque determinatam hac lege non esse, quilibet intelligit. Hinc ex iuris communis dispositione lex patria clarior reddi debet. Quaedam tamen requisita ex ipsa lege elici posse mihi persuadeo. Sic ex voce *befunden* satis patet, haud confessio-  
ne coniugis, sed inspectione legitime praecedente, impotentiam pro-  
bandam esse. Ex eadem voce porro concludere licebit, impotentiam  
antecedentem requiri, cui interpretationi ius Canonicum fuet q).  
Quum vero potentia impedimentum quidem dirimens, at priuatum  
tantum sit, non nisi urgente altero coniugum, matrimonium annihilat.  
Si ergo in matrimonio cum impotente permanxit, communio bono-  
rum, simul cum matrimonio, perdurat r). Communio enim bono-  
rum quidem a thalami consensione, sed regulariter symbolica tantum  
pendet, vti supra notaui.

Alius

*de Rit. Nup. n. 8. ob cap. vn. in f. c. 13. c. 32. c. 25. X. de iureiurand. Affirmat et quidem posteriori iure cum pluribus LAVTERBACH in Coll. Theoret. pract. ad Tit. de R. N. §. 100.*

q) Conf. G. L. BOEHMER in Princip. iur. Can. §. 408.

r) Conf. VOLKMANN de aeris alieni inter coniuges Hamburgenses communione §. 34.

Alius adhuc isque tertius casus, qui in matrimonii annulationem admittit, est, quem statuta sequenti modo exprimit <sup>s)</sup>. Da es aber aus beweislicher Irrung, sich zugetragen, als wenn der Ehemann in abgele-  
genen Quartern sich über vier oder fünf Tage aufgehalten, und seiner Hausfrau in dieser Zeit von seinem Zustande nichts zu wissen gethan — dass darüber die Ehefrau, auf vorgehende vergebliche Auskündigung ihres abwesenden Ehemannes Gelegenheit, auf angerufene Hülfe des Ge-  
richts in beständiger Meinung, dass derselbe Todes verfahren, zur an-  
dern Ehe sich würde oder hätte begeben, so wäre auf den Fall, auf des  
seinen Ehemanns Wiederheimkunft, kein Ehebruch begangen, jedoch wird auf solchen Fall, der erste Ehemann wiederum zu seiner Ehefrau gesetzt,  
und der andre Ehemann davon abgewiesen. Quo enim casu vxor,  
qua data opera et implorato iudice, mariti absentis domicilium aut  
vitam perquirere frustra laborauit, ac eum mortuum ex indiciis allatis  
habuit, tunc vero alii nupsit, ad maritum priorem redire tenetur, nisi  
hic iuri suo, in fauorem posterioris mariti, ac liberorum cedere ma-  
luerit. Secus autem se res habet in vxore a marito malitiose deserta, si  
diuortium impetrauerit.

### S. XXXIII.

In diuortio vero proprie sic dicto curatius explicando, preeprimis  
ad quaestiones sequentes attendam:

- I) Quasnam causas diuortii forum patrum iustas censet,
- II) cuinam iudicio potestas diuortii competit, et
- III) quinam effectus diuortium rite factum sequantur.

Quod vero primam harum quaestionum attinet, in Statutis Ham-  
burgensisibus, non nisi duae allegantur diuortii cause, quae vel iure

<sup>s)</sup> Stat. Hamburg. Part. 4. art. 32.

communi iam approbata sunt. Illarum videlicet prior est adulterium t)  
quo spectant verba: *Trennung oder Scheidung der Ehe wird nicht zugelas-  
sen, es sey denn dass der eine dem andern ehebrüchig worden.* Quomo-  
do vero coniux adulterii reus ceteri non expenit. Hinc omnia ex  
iure communi definire debent.

Secundum locum occupat *desertio malitiosa* alterutrius coniugis,  
de qua patriae leges ita disponunt v), oder dass einer dem andern treu-  
loſt würde, und denselben verlassen hätte. De hac quoque desertione  
Ordinatio ecclesiastica x) de 1536. art. 50. in fin. quaedam continet:  
verbis: *Is unse befhl und wille, datt ye den Graden, so yn den Rechten  
verbaden, nemant tho Hamborg und erem Gebede aue willen and fall-  
bort des Erbarn Rades, — thohope geven werde. Desgleichen gebeden  
und willen wy, datt ydt ock also gehaldein werde mit Eheliüden, de van  
einander lopen synt, und sick verlatten hebben, so de beide, edder eyner  
van den, sick wolde mit einem andern voreheliken and thohope geven laten.*  
Ex quo loco patet, Senatum cognitionem super eiusmodi desertione  
sibi reseruasse. Quo ad modum procedendi vero ex hocce capite, no-  
tari debet, illam a parte deserta sufficienter esse probandam, quamquam  
a parte mariti deserti leuior tantum probatio, ob praesumptionem adul-  
terii, vel deficientis causae absentiae probabilis, admitti videatur. Ex  
quo et id deriuatur, proclama contra vxorem desertricem iam post  
biennium, contra maritum vero desertorem demum post triennium de-  
cerni, priorique casu proclama, statim post sex hedomades, diuortium  
ipsum sequi. Ne tamen inde coniugi desertori praeiudicium, iusto  
grauius acceleretur, in foro Hamburgensi ea obtinet obseruantia, vt

fiscalia

t) Stat. Hamb. Part. II. Tit. II. art. 2. s. galle cum non audiatur

v) Stat. Hamb. l. c.

x) Samml. Hamb. Gesetze und Verfaß. Th. 8. p. 312.

fiscalis in criminalibus a sententia in iudicio inferiori proclamate finito lata, ratione diuortii ad Senatum prouocare obligetur, vt res cognitio ni reiteratae subiiciatur, et si quaedam in sententia iudicij inferioris minus recte se habeant, reformari possint y). *Desertionem qua si malitiosam*, seu denegationem debiti coniugalis lex nostra quidem non exprimit, tacite tamen sub voce *treulosi* comprehendisse, eo certius est, quum exempla in foro nostro occurrant, in quibus et haec causa iusta diuortii habita fuit z).

Praeter adulterium vero ac desertioem malitiosam, quas leges folias iustas diuortii causas exprimunt, alii in foro Hamburgensi haud plane respuuntur. Inter quas cum primis *delictum* alterutrius coniugis *gravius*, seu cui mors civilis et infamia imminent, referri debet. Repetita enim vice in foro nostro ob poenam corporis afflictuam, quam infamia comitur, innocentia diuortio facta, ad ulteriores nuptias adspicere permisum est a). Quod eo gratius iudicibus ac patronis in foro Hamburgensi versantibus esse debet, quo grauior est controv ersia inter Doctores utrum de iure communii haec causa diuortio locum facere debat nec ne. Attamen ICti b) aequae ac Theologi c) celeberrimi affirmatiuae assentiantur. Coniux enim qui eiusmodi delictum commisit, in-

dire-

y) Haec Commentator iuri patrii celeb. SLÜTERO in not. ad Part. II. Tit. XI. art. VIII. qui in Thesauro iuris statutariorum Tom. I. Selt. II. extat, me debere animo grauissimo profiteor.

z) Sententia, hanc debiti coniugalis denegationem concernens, extat in Thesauro. cit. Tom. 1. Selt. 2. p. 288. et 733. in causa Heners contra vxorem, vbi decisum: *dass sie ihm zwischen hier und Uffern eblich beyzuhuen, auch der Mann sich christlich und friedlich verhalten solle: quum vera sententiae huic vxori morem gerere recusaret, a Facult. Theol. Rostoch. decisum est: so sie der vorigen Urtheil nicht pariven würde, dass sie mir der Gefängnis dazu soll angehalten werden, und da sie in der Gefängnis bey der Verweigerung verbleiben würde, so wird sie als eine mutwillige Desertrix erkannt, dieser Stadt verwiesen, und dem Kläger sich zu verherrathen geflattet.*

a) Samml. Hamb. Gesetze und Verfaßt. Th. IV. p. 134. not. g.

b) G. L. BOEHMER in Principiis iur. Can. §. 408.

c) V. MOSHEIM in Comment de diuortii §. 13. selt. 6.

directe contra fidem coniugalem peccasse dicendus est, quum facile intelligere potuisset, eiusmodi factum poena sua id sequente in officiis coniugalibus eum impediturum.

### §. XXXIV.

Cuinam vero iudici diuortii faciendi potestas Hamburgi competit, haud eadem resoluta potest determinatione. Namrum utrumque iudicium, inferius ac superiorius, ratione causarum matrimonialium mox concurrit, mox vero sibi inuicem subordinatum inuenitur. Diuortia scilicet ex causa desertions malitiosae, in iudicio inferiori impetrari debent, quod iudicium etiam post citationem dictalem cognoscit. At pro sententia confirmando, ad Senatum prouocari oportet. Quo facto Senatus edictales ex officio decretas, valuis curiae affigendas curat, causam denuo absque vlla ad iudicium inferius remissione ipse cognoscit, et si e re esse indicat, priorem sententiam confirmat d). Sin vero quis, ex capite adulterii ad matrimonium dissoluendum agere intendit, ad iudicium statim superiorius preces suas dirigere potest. Arbitrio tamen eius relinquitur, utrum in iudicio superiori vel inferiori agere velit. Sententia vero iudicij inferioris hac in re lata confirmatione quoque Senatus indiget e). Quo ad modum procedendi in matrimonialibus nil quod singularis nota eisset occurrit, potius diuortia, ad instar causarum reliquarum, pertractari videntur.

### §. XXXV.

Ad effectus tandem diuortii praecipuos referri debet, diuortio factio communione bonorum cum effectibus suis, ac portionem statutariam cessare f). Reliquos vero, quos ius Canonicum refert, ecclesiæ supersedeo. Haec omnia vero ad separationem quoad thorum et mensam, vinculo scilicet matrimonii adhucdum valido, haud applicari possunt. De huiusmodi separatione, id tantum adhuc monere licet, in patria, vel perpetuam, alibi nunquam seu rarissime obtinenter, vel temporariam visitatam esse. Haec a Senatu, cui soli eam decernendi ius est g) decreta, per commissarios ratione alimentorum, aliorumque quae determinatione egent, conuenit.

d) Sammlung Hamb. Gesetze und Verfaß. Tb. III. p. 521.

e) Collect. cit. T. III. p. 522.

f) Collect. cit. Tb. IX. p. 135.

g) Collect. cit. Tb. III. p. 523.

Göttingen, Diss., 1779

ULB Halle  
008 563 705

3



4018



1779, 6 7  
111

DISSERTATIO IN AVGVRALIS  
DE  
EO QVOD IVSTVM EST  
CIRCA MATRIMONIA SPECIATIM  
SECUNDVM STATVTA  
HAMBVRGENSIA

---

CONSENTIENTE  
ILLVSTRI ICTORVM ORDINE  
TINGENSI  
PRO  
QVE IVRE HONORIBVS  
OBTINENDIS  
DPOSITA  
A  
DE GRAFFEN  
MBVRGENSII

---

TINGAE,  
DIETERICH, ACAD. TYPOGR.  
7 7 9.

